Imprimatur.

Geo. Oxenden, *Procan.*
Jo. Mountagu, *Coll. Trin. Magiſter.*
Hump. Gower, *Prof. Marg.*

Jan. 17. 1692.

Imprimatur.

Geo. Oxenden, *Procan.*
Jo. Mountagu, *Coll. Trin. Magiſter.*
Hump. Gower, *Prof. Marg.*

Jan. 17. 1692.

Tab - 17 - [redacted] 29.

DISQUISITIO

7381. 66

IN

Hypothesin *Baxterianam*

DE

Fœdere Gratiæ,

Ab initio

Et deinceps, semper & ubique omnibus indulto, & adhuc apud Ethnicos & extra-evangelicos vigente ac valente ad salutem.

Authore *Carolo Robothamo*, Ecclesiæ Anglicanæ Presbytero Norfolciensi, *S. Th. B.*

Μὴ ὑπὲρ ἃ γέγραπται φρονεῖν, 1 Cor. 4. 6.

Qui non colligit mecum, dispergit, (dictum Domini Jesu, *Luc.* 11. 23.)

LONDINI,

Impensis Roberti Clavell, Bibliopolæ *Londinensis*, ad Insigne Pavonis in Cœmeterio Divi Pauli, M DC XCIV.

667:03

REVERENDO ADMODUM

IN

Chriſto Patri

JOANNI,

Epiſcopo *Norvicenſi.*

TUæ cum ſim pars curæ (Reverende Præſul) tibi ſecundùm Deum, non ſolum miniſterii, ſed & ipſius otii rationem debeo, præſertim quum id quod eſt præ manibus, Tui res ſit fori, nempè Theologici ; Quamvis autem Cauſæ (quæ hîc agitur) ea ſit indoles,

indoles, ea (ni fallor) veritas, ut ſola per ſemetipſam ſibi ſufficere meritò videatur: Patrociniam tamen quærit & plus quàm expoſcit Scriptoris tenuitas; quo tutiùs ſcilicet ſub clientelâ tuâ, ſub tanti nominis umbra conquieſcat. Prodeat igitur ſub Tuis auſpiciis (oro) hoc quicquid eſt operis aut olei: Vellem quidem elegantiùs veſtitum, Tuoque conſpectu dignius comparuiſſet. Quod ſi ſermonis ille nitor, minor quàm par erat, per omnia non reſpondeat, donetur illud diuturnæ latinitatis deſuetudini; præſertim in materia difficili, & plus ſatis ſcabroſa, quæ non niſi inelaboratum admittit orationis filum. Mihi utcunque (cum Sancto

Sancto Hieronymo) melius vi- Epiſt. ad Damaſum.
detur, vera ruſticè, quam falſa (vel dubia, aut ſuſpecta) diſertè proferre. Stylo igitur (ſi fortè) ruſticiori, detur (obſecro) hîc venia; quam neque admodum deſpero à tam notiſſimæ humanitatis pectore.

Nolo autem Reverentiæ Tuæ ulteriùs negotium faceſſere, neq; Tua morari tempora. Liceat tantummodò, poſt triſtem orbitatem, ſolatia noſtra, per Tuum ad nos acceſſum & præfecturam, nobiſmet gratulari. Fuimus ad tempus, quaſi in orphanorum ſtatu, eóque magis nomine, Reverentiæ Tuæ obſtricti ſumus, quod paternam noſtrî curam ſuſcipere, defectum ſupplere, ſortique noſtræ vale-

tudinariæ manum relevatricem accommodare, non dedigneris. Quod superest; Deum optimum maximum veneror, ut in ipsius gloriam & Ecclesiæ commodum, cogita tua & conatus, Spiritu suo usque dirigat, afflet & feliciter secundet. Ita vovet,

Reverentiæ Tuæ, officii nexu

& pietatis affectu, addictissimus,

Carolus Robothamus.

PRÆ-

PRÆFATIO.

TErtius jam agitur menſis, ex quo primùm incidi (caſu magis quàm conſilio, errore ſcilicet Bibliopolæ quid pro quo mittentis:) incidi (inquam) in librum Domini Baxteri, cui titulus Methodus Theologiæ Chriſtianæ. *Inter legendum, deveni tandem ad περίαν ejus δόξαν; ubi vir Doctus, humano (ut videtur) affectu, ſed magno molimine & quodam quaſi zelo, Ethnicorum ſalutem & nunc & olim*

lim aſtruere ſatagit; ſcilicet partim per naturale quoddam religionis Symbolum, omnibus ſæculis & gentibus quadantenùs attemperatum & adaptatum: Partim per fidem ſalvificam, quæ nullum reſpectum ad Chriſtum ſive olim promiſſum, ſive nunc miſſum, neceſſariò includat: Partim verò per fœdus gratiæ univerſale, humano generi per totum terrarum orbem exhibitum & diſpenſatum, atque per providentiæ φαινόμενα ita patefactum, ut evidentiâ quâdam naturali ſingulis per omne ævum facilè innoteſcat. Rara quidem (fateor) hæc ſunt, & inſolita, atque à vulgari calle remota, ſed δύσπεπτα admodum καὶ δύσπιστα, nec ſine multâ manſitatione deglutienda. Authoris tamen palato adeò mire arridet hæc

hypotheſis

hypotheſis, hanc Helenam ita impenſè fovet, hanc chordam adeò lubens ubique tangit, ut non immeritò eam vocitare poſſis, Delicias Baxterianas. Agnoſco me non planè hoſpitem eſſe in hâc controverſiâ: Siquidem in argumento non multùm abſimili, alibi de his egi, in ſcripto ſatis ſpiſſo, nec dum edito, neſcio an unquam edendo (tanta eſt, ut videtur, apud noſtrates chartæ caritas & annona, prælique difficultas.) Interea verò donicum illud opus (ſiquando Deus dederit) in lucem prodeat; viſum eſt mihi in palæſtrâ hâc Baxterianâ me aliquantulùm exercere, horaſque aliquas impendere: Haud animo vel Spiritu contradicendi, nedum ex aliquo vellicandi vel depreciandi pruritu; ſed unicæ & ſolius veritatis eruendæ

ſtudio: Et ut anſa detur (ſi cui libet, magis inſtructo) ad ulteriorem rei diſquiſitionem. Inauſpicatò præ-
Part. 3. pag. 20. n. 17. ſagire videtur D. Baxterus, neminem ei adverſaturum, præter aut rabulam aut ſuperbè ignorantem. De priori, ſatis (ut opinor) hîc cautum eſt, ſcilicet ut civilitèr cum eo agerem, & humanitèr; De poſteriori, aliorum eſto arbitrium & cenſura. Me quod attinet, invitus equidem me adverſarium intendo in Dominum Baxterum cujus ex ſcriptis juvenem me profeciſſe non diffiteor, cujus & acumen in multis capitibus (ſalvâ ſemper Eccleſiæ pace) agnoſco & amplector. At verò liceat, juxta monitum Apoſtoli, omnia probare, & quod bonum eſt, id ſolum retinere. Antiquum illud Hieronymi de Origene dictum, liceat

ceat etiam mihi hîc uſurpare ; ſcilicet non ita bona ejus accipere debemus, ut etiam mala (falſa pro veris, vel ſaltem dubia pro certis) recipere cogamur. Sua nobis in publicum propoſuit D. Baxterus μελετήματα: Ego itidem appoſui & mea. De utriſque judicent periti: Judicet Eccleſia, & orbis Chriſtianus. Vincat Chriſtianiſmus, vincat veritas.

C. R.

IN
Eruditam Diſquiſitionem
IN
Hypotheſin *Baxterianam.*

O Infidelium cohors! Vos plaudite.
Apporto vobis nuncium gratiſſimum.
Evangeliſta Quintus jam tandem extitit,
Longe benignior vel reliquis Quattuor:
Viam Salutis alteram quam per Viam
Oſtentans, & vitam ſine Vita *pollicens.*

Quid ſtas cum clavibus, Petre? *Ilicet, Ilicet,*
Alias Baxterus *invenit nuper novas,*
Potentiores multo (ni fallor) Tuis:
Tu Chriſtianis tantum cœlos apperis,
At ille Gentibus: Fidei Tu duodecim
Articulos, ille primum ſolum poſtulat;
Et urbis Solymæ portam apertam repperit,
In uſus mutatam longe contrarios,
Cui cuſtos audit, nempe ſtercorariam.

Quod

Quod si (quod unum restat) nunc Anima mea
Sit cum Philosophis; Christianisme valeas.
Paganus, Christianus, haud multum interest.
O quam Theologo dignam telam texeret!

Hunc si commotus Robothamus *perspicax*
(Præsentis ævi decus, atque idem dedecus,
Illustriore Sphæra ac sorte dignior)
Trans obelo verberat, noli mirarier.
Contra rationem, Scripturas, Ecclesiam
Quem disputantem, nudatum coloribus
Fucatis, in theatrum trahit hæc διατριβή.
Siquis—— Quid agis? Tene invidere Gentibus
Divinam Gratiam? Tene fores claudere
Supernas, in viros probitate præditos?
Audacis Theologi qui linguam comprimit,
Deo relinquit integras partes suas.
Non Ἀυτοκράτορες *nos, sed Juridici sumus:*
Qui jura dicunt, Rectoris potentiam
Ὑπερέχουσ *vel in leges haud denegant.*

Daniel Green, A. M. & Rector de
Fulmodiston in agro *Norfolciensi.*

AD

AD

Hominem Lapſum

ΓΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ.

VAne, quid affectas Paradiſi irrumpere portas,
Et per inacceſſas niteris ire vias?

Stat contra rumphæa minax, atq; ignea enſis, Gen. 3. 24.
Flammarumque globi vibrat in ora tua.

Clauſa eſt jam lapſis Factorum Janua: Cœli Rom. 3. 20. 4. 6.
Et reſerat ſummi limina Recta Fides. Eph. 2. 8, 9.

Hac Duce juſtitiam aſſequitur Abrahamus, & in- Gen. 15. 6.
Conceſſum eſt Chriſti porro videre diem. (de Joan. 8. 56.

Hac ſemper vixere pii, hac & vivet in omne Habac. 2. 4.
Ævum, Juſtorum Pars univerſa virûm. Rom. 1. 17.

Lapſus homo ex proprio ſapit, & ratione ſuperbit, Eph. 4. 18. Rom. 1. 21.
Viqus ſua retur poſſe placere Deo. Gen. 6. 5. Eccleſ. 7. 22.

Arguit

Gal. 3. 19. Rom. 3. 20. Rom. 4. 15. c. 8. 3, 7.
Arguit ignarum veteris Mundi πολυθεϊσμῶ,
Arguit infirmum Lex rediviva Sinæ.

Gal. 3. 21, 22.
Arguit utrumque promiſſus Chriſtus, & orbi
Poſt miſſus, miſeris ſola medela malis.

Pſal. 104. 24. 1 Cor. 1. 21.
Eſt (fateor) cunctis ſapientia miſta creatis;
Haud tamen expandit iſta Sophia Deum.

1 Cor. 2. 6, 7. 8.
Non miſereſcentis præcordia chara recludit,
Nulla redemptoris pignora certa dedit.

Quid leges igitur Rerum, regimenque, viceſque,
(Quæcunque in terris fixa Pronoia facit:)

Quid Mundi miſeri & marcentis egena elementa,
In veniæ & vitæ cogimus ire baſin?

Gal. 2. 21.
Quid lumen doteſque relictas, Pelagiane,
Eve his? Haſque doces ſcandere poſſe polum?

Non Lex non Lumen naturæ ſalvat alumnos,
Joh. 1. 4, 17.
Gratia ſed Chriſti, vitaque Luxque Λόγυ.
E'que ſinu Patris prolata oracula veri,
Gen. 3. 15.
De ſerpentigeni ſeminis excidio.

Iſai. 1. 11. 66. 1, 2, 3.
Quid Moſen, Judæe, crepas, Sinaitica jura
Templaque brutorum ſanguine tincta nimis?

Hebr. 10. 1, 4. 9. 9. Coloſſ. 2. 17. Heb. 7. 19.
Quid typicas facies, & inanes deperis umbras,
Omnia quæ, dempto corpore, caſſa jacent?

Num. 21. 9. Deut. 33. 2.
Reſpice de Σηὶρ venientem, & lumina fige
Præteris ſigno: Promicat inde ſalus.

Non

Non Moſes populum in requiem traducit, at ille Heb. 3. 11, 18. 4. 7, 9.
Idem hodie, idem & heri Jeſus, & uſq; manens. 13. 8.

De quo olim Moſes, Deus excitat ecce Prophetam, Deut. 18. 18, 19.
Audiat illius dogmata veſtra Fides. Act. 3. 22, 23. Matth. 17. 5.

Summa ſalus, Chriſtuſq; Fides Chriſtumq; prehendens,
Nexibus implicitis concomitanter eunt.

Nulla ſalus ſine Chriſto, in Chriſto ſors quoq; nulla Act. 4. 12. Joh. 8. 24.
Abſq; fide: Coeunt Chriſtus & Alma fides. 10. 26, 27.

De ignoto Chriſto, Nil ſani manat adulto, Eph. 2. 12. Iſai. 53. 11.
Nulla ſalutiferæ vivida gutta ſpei. 1 Tim. 2. 14. Joh. 17. 3.

Non habet is vitam, qui Chriſtum non habet: Hujus 1 Joan. 5. 12. 2 Joan. 9.
Doctrina vacuus non habet ille Deum.

Sola via ad Patrem eſt Chriſtus, via ſola Fides q; Joan. 14. 6. & 53.
Ad Chriſtum: His junctis itur ad aſtra rotis. 1 Pet. 2. 4, 7.

Qui Chriſtum tollit, Animæ medicamina tollit,
Balſama de Gilead evacuare ſtudens: Iſai. 53. 5.

Quiq; fidem removet, myrothecion abjicit, ipſum
Emplaſtrum diris vulneribuſque negat. Rom. 3. 25.

Tu fidei Chriſtum conjunge, Fidem quoq; Chriſto: Hoſ. 2. 19, 20. 1 Pet. 1. 21.
Divide: non proſunt ſingula, juncta juvant.

Fundamentum aliud non extat præter Jeſum, 1 Cor. 3. 11.
Non aliud poterit ponere vera fides.

Hic muri eſt utriuſque Lapis, caput anguli, & in
Se non ædificans ille profanus eat. (quem Eph. 2. 20, 21.

Una

Eph. 4. 5, 6, 13. *Una fides Christum complectitur, una Deumque:*
Unius fidei portio ubique salus.

Joan. 12. 44. *Unus idemq; latex de fonte & flumine manat*
Unda eadem; utramq; ergo ἢ πίε ἢ ἄπιθι.

Joan. 5. 23. 1 Pet. 1. 21. *Filius atq; Pater pariles in honore fideque,*
Utraq; pars sortem hic vendicat æqua suam.

Joan. 14. 1. *Hilarius.* *Creditis in numen, sed & in me credite, dixit,*
Salvator, jungens se fidei atque Deo.

Joan. 17. 3. 1 Joan. 5. 20. *Fidere Mittenti, vita est, sed non sine Misso:*
Ex utriusq; fide surgit utrinque salus.

Errores valeant, tribuunt quicunq; salutem
Si non, à Genito, per Genitique fidem.

C. R.

ER-

ERRATA.

PAge 3. Marg. l. *neque eis.* p. 13. lin. 12. l. *Serpenti.* p. 24. l. 12. *Montanus:* (l. 13. l. *nihili æſtimans, ſic Stunica.* l. 22. l. *Abſcondi ab.* p. 36. l. 3. poſt *ſtatum* pone comma. l. pen. l. *reliclis.* p. 43. l. 18. l. *præpoſitionis.* p. 44. Nota Proſperi poni debuerant in Margine, ne interrumpatur ſenſus & Syntaxis. p. 57. l. 19. l. *exuta.* p. 69. l. 1. poſt *(ſenſus)* adde punctum. p. 70. l. ult. l. *Adeo ut.* p. 75. l. 15. poſt *(Deus)* tollatur punctum. p. 80. l. ult. l. *modis.* p. 94. l. 10, 11. l. *ſolatia.* p. 99. l. 19. l. *Diſcipula.* p. 114. l. 9. pro 88. l. 109. p. 148. l. 8. l. *reperitur.* p. 150. l. 22. l. *rebus facli.* p. 154. l. 15. l. *promam.* p. 126. l. 22. l. *oſtenditur.* p. 155. l. 25. dele *p.* 103. l. 127, 132, 135. p. 156. l. 3. dele *p.* 109. l. *p.* 137.

DIS-

DISQUISITIO
IN
Hypotheſin *Baxterianam*
DE
Fœdere Gratiæ, &c.

Caput I.

Curioſitas humana, prona admodum & proclivis ad abſcondita Dei & inconceſſa ſcrutanda, multùm ſe & nunc & olim exercuit circa ſtatum & ſortem Gentilium. Durum videbatur & rigidum, tot hominum myriadas, & ante & poſt Chriſtum, extra media ſalutis relictas ponere & collocare. At verò (ut Joſephus Acoſta [a]) non id agitur, utrum durum hoc & ſeverum ſit,

[a] L. 5. de procurandâ Indorum ſalute, cap. 3.

sit, an benignum & liberale, sed utrum verum nécne. Quocunque enim modo Deo visum fuerit has res administrare (uti rectè monet Jac. Arminius, hâc ipsâ de re loquens [b]) semper accidet ut vincat Deus, quando judicabitur. Varia tamen commenta favorabilia humanum excogitavit ingenium, quibus mundum Gentilem ex hâc miseriâ eriperet, & intra salutis metas, etiam sine fide Christi, ne dicam sine Christo, collocaret. Pelagiani (quos passim refellit S. Augustinus Tomo 7.) distribuebant tempora, & docuêre, Ante Legem salvos factos esse per naturam, deinde per Legem, postremò per Christum. Socinus [c] post sublatam

[b] Oratio, de objecto Theologiæ, *p.* 32.

[c] Considere Deo per Christum, sub vet.

Testam. neque necessarium fuit, nec porro in quoquam fuisse ullâ ratione dici potest. *Socin. fragm. de Justificat. f.* 51.

Certum est eos qui Christi tempora antecesserunt, non habuisse Christi notitiam, tanquam ad se pertinentem, nec per ejus fidem ad Deum accessisse. *Soc. Comment. in* 1 *Epist. Joannis, f.* 445.

Sic & Smalcius, De naturâ Filii Dei, *c.* 10. Mors Christi non fuit necessaria priscis ad justificationem. *Idem in refutat. Smiglecii c.* 23. *f.* 204. Christi mors aut virtus ejus, ad eos non pertinuit, qui ante eum vixerunt. *Idem in refutat. Franzii, p.* 141. Nullus mediator nec promissus nec datus fuit Adamo. —— Nec ad eos Christus pertinuit.

Christi

Christi Deitatem & satisfactionem, non mirum est si etiam negaverit antiquis Dei hominibus, omnem fidem in Christum vel salutem per Christum. Egit certè ut Philosophus, hoc est, sibi constat, sibi congruit, & licet falsa, tamen cohærentia, docet. At verò Curcellæus, qui neminem antiquorum salvatum vult, nisi ex respectu ad Christum, communem omnium redemptorem [d], & tamen negat illis fidem in Christum futurum redemptorem, ut necessariam [e], iisque sub lege & fœdere naturæ relictis [f], salutem [g] concedit, dummodo credant in Deum Universi creatorem & gubernatorem, & vitam suam secundùm rectæ rationis lumen omnibus affulgens, instituant. Hic sanè ἀσύστατα prorsus & ἀσύγκλωστα conjungere videtur, suáque dicta aliis dictis suffodere & supplantare.

[d] Curcell. dissert. Theol. 3ª. p. 919. n. 3.
[e] Idem, p. 454. n. 13.
[f] Idem, p. 928. n. 25.
[g] *Quam* (inquit) ne queis promisit Deus, neq; dare tenetur. p. 452. n. 12.

Prodit tandem hujusce causæ limator ultimus & politor Dominus Baxterus, vir celeberrimus, in nostratibus præsertim controversiis.

Ille in Methodo Theologiæ Christianæ, rectè negat cuiquam homini lapso salutem contigisse vel contingere potuisse, per fœdus naturæ, hoc est, perfectæ & illibatæ innocentiæ. Statuit verò omnes ab initio Salvatos fuisse non nisi per mortem & meritum Christi, per fidem in Deum redemptorem & liberatorem, per fœdus & legem gratiæ & misericordiæ omnibus universim hominibus à lapsu dispensatam, indultam & patefactam, partim per traditionem illius primævæ promissionis & protevangelii (*Gen.* 3. 15.) partim per obvia quædam ratiocinia facile deducta & collecta à regimine mundi, ab experimentis patientiæ, clementiæ & benignitatis divinæ erga genus humanum; omnes verò omnium gentium & sæculorum mortales, maxime judicatos iri, secundùm hoc fœdus gratiæ universalis, neminem verò (decisivè & determinativè, uti loquitur) condemnandum fore propter mera peccata commissa contra Legem naturæ

turæ (ſive originale ſive actuale) ſed propter ſpretum hoc fœdus gratiæ & neglectum. Hæc mihi videtur ſumma ſententiæ Baxterianæ. Ipſum (ſi placet) audiamus loquentem.

Part. 3 *p.* 56. *n.* 8. ‘ Legum gratiæ univerſalium Triplex fuit editio. Prima facta humano generi in Adamo: Secunda, humano generi in Noâ: ‘ Tertia per Chriſtum incarnatum, omnibus facta eſt quoad legis tenorem, ſed non omnibus promulgata eſt. *Part.* 3. *p.* 19. *n.* 8. Fœdus gratiæ initialis vel primæ editionis Toti generi humano factum eſt, & in Adamo & Nöe, & per illos ad poſteros tradendum mandatum eſt, & de facto traditum. *Part.* 2. *p.* 383. *n.* 1. Regnum hoc Dei ideo Univerſale dico, quia *totum genus humanum* ſunt *ejus ſubditi.* Ibidem, *n.* 4. In primo inſtante, *omnis* eſt *verè ſubditus*, qui ad fœderis novi obedientiam à Deo vocatus & obligatus eſt. Et ita regnum hoc Dei

'est Universale —— omnibus in A-
'dam remedium paratum est & *obla-*
'*tum*: Quod & de omnibus ut in
'Nöe, dicendum est. *Ibidem*, *n.* 6.
'In primâ constitutione, *regnum* gra-
'tiæ Universale fuit. *Part.* 2. *p.*
'408. *n.* 5. Lex gratiæ seu fœdus
'divinum, sicut Adamo, ita & Noa-
'cho cum liberis suis datum est,
'adeóque *virtualiter*, Toti generi
'humano. *Ibidem*, *p.* 410. (initio
'tabulæ) Quoad ipsius vim & te-
'norem, fœdus gratiæ universale,
'& primæ & secundæ editionis, om-
'nibus Adami & Noachi posteris
'continuatur, ut norma scilicet &
'officii & *Judicii*. *Part.* 3. *p.* 67.
'*n.* 7. Nemo mortalium ab omni
'gratiâ (sicuti Diaboli) exclusus
'est; aut sub solâ lege naturæ in-
'tegræ est *subditus*: Omnes *sunt sub*
'*lege gratiæ*, vel primæ vel poste-
'rioris editionis. *Part.* 2. *p.* 409.
'*n.* 6. Totum genus humanum, eti-
'am & Ethnicis & infidelibus qui-
'buscunque non exceptis, *est sub*
'*lege gratiæ*, seu fœdere quà con-
'ditionali.

'ditionali. In *Poſtſcripto*, *p.* 1, 2. 'Neque per adventum Chriſti ceſ-'ſavit fœdus ſeu Lex gratiæ (i. e. 'initialis) primæ & univerſalis, quà 'media gratioſè præcipit ad pecca-'torum remiſſionem & vitam ob-'tinendam, etiam iis quibus Evan-'gelium nunquam prædicatum fu-'it. *Part.* 3. *p.* 19. *n.* 11. Præcepta 'fœderis gratiæ initialis omnes ad-'huc obligant, quibus vere reve-'lata ſunt, & quibus præcepta fœ-'deris perfectioris nondum revelata 'ſunt, promiſſiones item & com-'minationes illius fœderis, omnibus 'adhuc *vigent*, quibus perfectioris 'fœderis Lex & ſtatus non revela-'tur & ſuccedit. *Part.* 3. *p.* 368. '(circa imam Tabulæ paginam) To-'tus mundus (legis innocentiæ vio-'latione ſuppoſitâ) judicandus eſt 'ſecundùm Gratiæ legem, *viz.* E-'ditionem illam ſub quâ vixe-'runt, *viz.* Qui Evangelium ha-'buere, ſecundùm Evangelium: Ju-'dæi ante Chriſtum, ſecundùm pro-'miſſionem, cum lege Judaicâ:

'Mundus reliquus totus, per legem gratiæ Adamo & Noæ datam (per providentiam promulgatam & patefactam.) *Ibidem*, *p.* 369. *n.* 2. Condemnati, primò 'supponuntur esse sub condemnatione legis naturæ, propter unumquodque peccatum particulare (utpote conditionaliter tantùm, non 'actu remissum.) Secundò, determinativè condemnantur *solum* ob 'legis remediantis violationem, & 'remediantis aliqualis gratiæ ingratam rejectionem, *&c.*

§. 2. His ita prælibatis, pergo jam ad discussionem sive disquisitionem, præmissis quibusdam concessionibus & distinctionibus, quibus muniatur via & aditus ad destinatam antithesin, suo loco proponendam.

Primò igitur concedo, In illo πρωτευαγγελίῳ (*Gen.* 3. 15, 16.) factam esse ab initio promissionem de Christo, venturo & serpentem victuro.

Ag-

Agnoſco ſecundò, In hâc promiſſione fundatum eſſe & fortiter inſinuatum fœdus gratiæ & miſericordiæ, & ex illius intuitu Admiſſionem eſſe factam hominis jam peccatoris ad veniam & vitam, adeóque aditum & reditum ad favorem Dei certis legibus recuperandum.

Concedo tertiò, Initiale hoc fœdus datum eſſe primitùs Adamo, eique jam lapſo, non tamen ut Capiti ſalvandorum; Apoſtolus enim (*Rom.* 5.) duo tantùm agnoſcit capita, primum Adamum ut caput apoſtaſiæ, ſecundum ut caput gratiæ & reſtitutionis. Datum eſt illi, ut primo lapſo ſolique (cum Evâ) tum exiſtenti.

Concedo quartò, Fœdus hoc miſericordiæ, ex intentione Dei eſſe & fuiſſe extenſibile, applicabile & annunciabile, ad omnes & ſingulos Adæ poſteros, ſub conditione fidei, pœnitentiæ novæque in futurum obedientiæ; Adeóque omnes fuiſſe in (remotâ ſaltem) poſſibilitate ſalutis;

tis; nam (uti Crocius [h] docet) Promissio prima distinguit genus humanum à genere Diaboli. Si nihil aliud Methodista velit, per Fœdus datum virtualiter toti Generi humano, non refragabor.

[h] In Duodecade, p. 155.

Concedo quintò, atque etiam asfero Fidem in hoc fœdere requisitam fuisse in Deum misericordem, & in semen futurum promissum & propter peccata sacrificandum; qualem in Abele fuisse asserit [i] D. Baxterus; adeóque nudam fidem in Deum Creatorem & mundi gubernatorem (qualem asserit Curcellæus) non sufficisse; quâ tamen in re hæsitare videtur D. Baxterus & ἐπαμφοτερίζειν.

[i] P. 400, & p. 402. n. 31.

Concedo sextò, Doctrinam hujus fidei & fœderis, per Adamum & Noachum, traditam fuisse suis posteris, & ab iis per aliquot sæcula traductam & retentam: At verò tandem in maximâ hominum parte, extinctam & extritam, tenebris & oblivione sepultam; adeò ut opus haberet restitutione & quasi se-

ſecundâ promulgatione, factâ ad Abrahamum. Agnoſco etiam (cum Authore Methodi, *p.* 395. *n.* 52, 53.) ſacrificandi ritum primitùs introductum fuiſſe, ex lege poſitivâ divinâ, & ab Adamo primùm, & à Noâ poſtea, poſteris traditum; eaque ſacrificia, à primâ origine & inſtitutione, Typos fuiſſe Seminis futuri ſacrificandi, prout diſertè docet S. Auguſtinus [k]; ſed uti mens humana ſemper prona eſt ad ceremoniam externam, ad nucem ſine nucleo retinendam, ita ritus hic ubique quidem tranſiit ad Ethnicos, ſed ut corpus ſine animâ, ut cortex ſine medullâ, ut caſſa gluma ſine grano, hoc eſt, ſine ſalutari illâ χρῆσει, uſu, ſignificatione, ſine intentione & relatione Typicâ, quâ primitùs erat inveſtitus. Gen. 12. 3 22. 18.

[k] *L.* 1. contra adverſarium Legis, *c.* 18. Item, *L.* 5. cont. Julianum. Pelag. *c.* 9.

§. 3. His ita conceſſis, duo maximè ſunt, quæ adhuc in dubio poſita videntur, adeóque ſtrictiùs diſcutienda & ulteriori diſquiſitione ventilanda. Primò, utrum Totum genus

nus humanum, ante Christi adventum, semper & ubique *fuerit sub lege gratiæ?* Sive, utrum in regno gratiæ initialis Totum genus humanum fuerint illius *subditi obligati & vocati.* Id quod ῥητῶς asserit D. Baxterus (*Part.* 2. *p.* 383. *n.* 1. *n.* 4 *Part.* 3. *p.* 67. *n.* 7.) Secundò, utrum religio Christiana sit omnibus necessaria ad salutem, sic enim quæritur à D. Baxtero, (*Part.* 1. *pag.* 15. circa mediam paginam.) Vel, An fides in Christum Incarnatum (vel religio propriè Christiana) sit unica jam ad salutem via? (*Part.* 3. *p.* 17. *n.* 1.) Id quod negat D. Baxterus, ut videre est, *Part.* 3. *p.* 19. *n.* 13, 15. *pag.* 22. *n.* 19, 20. Mihi verò de neutro horum satisfit, sed utrumque prorsus videtur opponendum.

Prius verò quàm ad priorem quæstionem me accingo, necessariò præmittenda est gemina distinctio, ne in tenebris dimicare videar, scopúmque incertum & quasi volitantem petere.

Primò

Primò igitur, In fœdere gratiæ initiali, distinguo Institutionem ab administratione.

Fœdus gratiæ originalis & primordialis, sive ut in Adâ sive ut in Noâ spectatum, in Institutione erat (fateor) Universale, h. e. omnibus datum, omnibus traditum & notum, qui tunc in mundo extitêre. Tandem verò, post aliquot annorum centurias, crescente mundo, Serpente & inundante ignorantiâ & socordiâ, cæcitate & sensualitate per maximam generis humani partem, in administratione evasit in particulare, & multò restrictiùs ibat, non propter angustias vel imminutionem ipsius fœderis, sed propter hominum malitiam & apostasiam consummatam, quam sequebatur defectus & subtractio mediorum; uti animadversum est à Lud. Crocio [1] in his verbis, Fœdus (inquit) gratiæ, post apostasiam Cainitarum & Chamitarum, &

[1] In Duodecade, p. 785.

& ab his seductorum, restrictiùs est repetitum [m]. Et quamvis hominum malitia, ipsum fœdus Dei non irritavit, neque irritum facere potuit, quoad amplitudinem ejus omnibus & singulis semper applicabilem; tamen contractior fiebat administratio tum fœderis ipsius, tum mediorum & gratiæ, præsertim post stabilitam Israelis politiam in sedibus promissis; Juxta illud psalmographi, *Psal.* 147. 19, 20. Annunciat verbum suum Jacobo, justitias suas & judicia sua Israeli, non taliter fecit omni nationi (i. e. nulli fecit) & judicia sua non manifestavit eis, h. e. (inquit Vatablus) non fecit eis nota, idem significans quod Paulus (*Act.* 14. 16.) præteritis ætatibus sivit omnes gentes pellexit, ad universalem penè apostasiam. Post diluvium autem & fœdus cum Noacho renovatum, mundi depravatio, legis & cultus divini corruptio, oblivio & contemptus, cito nimis & ferè universaliter obrigit. Fœdus igitur & Abrahamicum & Mosaicum fuit fœdus reformationis, religionem à statu depravato restaurans, & leges & cultum divinum quasi postliminio restituens, & à corruptione & oblivione vindicans.

[m] Idem insinuatur à D. Baxtero, *Part.* 3. *p.* 443. Post lapsum humanum, & fœdus gratiæ primò factum —— Dei & hominum inimicus, per peccatum proh nimium prævalebat, & mundum ad leges divinas corrumpendas, violandas, temnendas

tes

tes ſuis ipſorum viis ambulare. Eódem ſpectat illud prophetæ (*Amoſ.* 3. 2.) de iiſdem Iſraelitis, Vos ſolos, vel tantummodò vos cognovi, ex omnibus cognationibus terræ. Adeo ut Salvator dicat ad Samaritanos ſui temporis, *Joann.* 4. 22. Vos adoratis quod neſcitis, nos adoramus quod ſcimus, Salus enim eſt ex Judæis, id eſt, Interprete Tertulliano [n], Tota promiſſio tribus Judæ fuit, ut ſcirent Hieroſolymis eſſe & Sacerdotes, & Templum, & matricem religionis, & Fontem, non puteum, ſalutis.

[n] Adverſus Marcion. *L.* 4. *c.* 35. *p.* 124.

Diſtinguo ſecundò, Inter Tenorem fœderis gratiæ & ejus diſpenſationem. Aliud enim eſt Generalis tenor fœderis, omnes ſub conditione complectens, eſtque unus & idem per omnia ſæcula ante-evangelica; aliud verò eſt οἰκονομία & diſpenſatio fœderis, quæ fit per miniſterium verbi, per revelationem, patefactionem, promiſſionem, per primordialem publicationem, vel certam & inde continuatam traditionem,

tionem, sive ore factam, sive scripto. Quæ sane est modò fusior & latior, modò strictior, parcior, & angustior. Neque Baxterianum acumen latuit hæc distinctio; quam licet sæpe dissimulet & sæpius confundat, aliquando tamen satis insinuat; ut *pag.* 383. *n.* 5. 'Post 'Cainitarum ' (inquit) apostasiam, 'fœdus gratiæ conditionale fuit *Tenoris* universalis, neminem nisi seipsum excludentem Excludens. *Item*, '*p.* 410. Quoad vim & tenorem, 'fœdus gratiæ universale & primæ '& secundæ editionis, omnibus Adæ posteris continuatur. *Part.* 2. '*p.* 431. *n.* 22. (De Judæis, ut opinor, agens, dicit) Quod erant obligati ad credendum tale fœdus 'divinum extare —— Et Messiam 'fore fœderis illius mediatorem, salutis ducem & procuratorem —— '*Ubi saltem* promissio de Messiâ promulgata est. Quibus ultimis verbis videtur concedere οἰκονομίαν & promulgationem fœderis, non æque latè patere ac tenorem ejus. Atqui verò

verò ſub lege & fœdere Evangelico cogitur apertiùs hanc diſtinctionem admittere. *Part.* 3. *p.* 56. *n.* 8. ‘Tertia editio (ſcilicet Legum gratiæ univerſalium) per Chriſtum incarnatum omnibus facta eſt, ‘quoad *legis & donationis tenorem*, ‘etſi *non omnibus promulgata* eſt [p]; quaſi dicat, Tenor fœderis eſt univerſalis, non itidem diſpenſatio fœderis per præconium Evangelicum. Ex quo etiam patet, Aliud eſſe, comprehendi intra amplitudinem fœderis, h. e. non excludi; aliud verò eſſe, huic fœderi gratiæ ſubeſſe, vel ſubditum eſſe fœderis. Neque enim ipſe Baxterus (ut opinor) omnes & ſingulos ponet ſub fœdere gratiæ jam Evangelico, ut Subditos, licet quoad tenorem ejus, nullos niſi finaliter incredulos excludat. Addo etiam quod promulgatio fœderis Chriſtiani & Evangelici, ampliùs multo & clariùs ſparſa & diſſeminata, altiores & latiores radices egit in mundo per totum ferè terrarum orbem, quàm fœdus initiale

[p] Vide etiam D. Baxterum, In Confeſſione ſuæ fidei (opere anglicano) *p.* 101. ubi diſtinguit Tenorem fœderis Evangelici à promulgatione, quæ non ad omnes pertingit.

ſive Adamicum ſive Noachicum
neque tamen omnes in univerſu
homines vel gentes, ſub hoc fœde
re collocabit D. Baxterus. At cu
non? dicet fortaſſe, quia adhuc di
ſtant à ſono Evangelii: At ver
longiùs diſtant quam plurimi Gen
tiles à fœdere Noachico, longiùs
loco primæ promulgationis, & lon
giùs à tempore, per bis vel ter mill
annos. Quid autem interſit inte
diſtantiam temporum & diſtantia
locorum, in re præſenti, nondu
ſatis video. At verò quorſum hæ
omnia? Scilicet ut ſublatâ omn
confuſione, ambiguitate & obſcu
ritate, liquidiùs patefiat τὸ ζητούμε
ſive quæſtionis ſtatus. Neque enim
aut Generalis ille tenor fœder
gratiæ, aut Dationis ejus in prim
inſtitutione univerſalitas, quicquam
in dubium vocatur. Non diſcepta
tur, An fœdus illud omnibus fuer
applicabile, ſed an adveniat, an ap
propinquet omnibus? Non id ag
tur, Utrum fœdus illud tantæ fue
rit capacitatis, ut omnes & univer
ſo

ſos quaſi ſinu ſuo & complexu indifferenter includat, neminique aditum præcludat, ſed omnes omnium gentium homines, poſitis ponendis, ad ſalutaria beneficia admittat. Sed quod maxime quæritur, illud demum eſt, nempe licet, An ipſum fœdus, omnibus & ſingulis in mundo hominibus, *exhibeatur:* An ita omnibus adminiſtretur aut diſpenſetur, ut verè dicantur omnes & ſinguli eſſe ſub gratiâ, i. e. adducti, ſubditi, poſiti, collocati ſub adminiſtratione & diſpenſatione fœderis gratiæ. Huc enim ſpectant Theſes & Argumenta Baxteriana. In hunc ſcopum collimant omnia, & collineant; Quem niſi feriant, incaſſùm volitant, & nihil prorſus agunt. Hìc igitur hæreo & ἐπέχω; Hoc mihi negandum videtur; nego omnes & ſingulos poſſi externè ſub ſtatu gratiæ, ſub diſpenſatione & adminiſtratione fœderis gratiæ. Neque id gratis nego, ſed momentoſis (ut mihi videtur) ſuffultus argumentis & rationibus.

§. 4. Quarum prima sic habet. Esse sub Gratiâ sive sub fœdere gratiæ, statum innuit & infert magnæ proximitatis ad Deum (*Deut.* 4. 7.) fruitionem mediorum (*Nehem.* 9. 12, 14. *Psal.* 147. 19.) suppeditationem & participationem Gratiæ sufficientis (*Psal.* 73. 1. *Isai.* 63. 9, 10, 11. *Hagg.* 2. 5. *Neh.* 9. 20.) At quam plurimi per totum terrarum orbem diutissimè fuere à Deo maxime elongati, (*Eph.* 2. 17.) Vobis qui *longè* fuistis. Et Vers. 13. Qui aliquando eratis (non propè, sed) *procul* & longe à Deo, adeóq; longè à fœdere & promissione (Vers. 12.) Ita statum Gentilium communem, in Ephesiis depingit Apostolus. Specta mihi ingentem (uti loquitur Tertullianus) voraginem, cui immersi erant hi elongati à Deo: Intuere sortem & statum Gentilium, qualis describitur in utroque testamento; Incircumcisi corde & carne (*Ezech.* 44. 7.) descendentes in infernum, in lacum

&

& locum incircumciſorum (*Ezech.* 31. 18. *c.* 32. 24, 27, 29.) Peccatores ex Gentibus (*Gal.* 2. 15.) Adorantes quod neſciunt (*Joann.* 4. 22.) Toti in maligno poſiti (1 *Joann.* 5. 19.) Sub poteſtate Satanæ (*Acts* 26. 18.) Ambulantes in vanitate ſenſus ſui, obſcurati cordis, alienati à vitâ Dei, ἀπηλγηκότες (vel ut Beza, cum vulgatâ legit, ἀπηλπικότες) *Eph.* 4. 17, 18, 19. Juſtitiam non ſectantes (*Rom.* 9. 30.) Deum non quærentes, nec invocantes (*Iſai.* 65. 1. *Rom.* 10. 20.) deſtituti ab oraculis Dei (*Rom.* 3. 3. *Act.* 7. 38.) Gens ſtulta (*Deut.* 32. 21. *Rom.* 10. 19.) Gens ſterilis (*Iſai.* 54. 1. *Galat.* 4. 27.) [q] Non-populus Dei (*Hoſ.* 1. 10. *c.* 2. 23.) non dilecti (*Rom.* 9. 25.) miſericordiam non conſecuti (*Rom.* 11. 30, 32.) Nox (i. ſine omni die & ſole,) *Rom.* 13. 12. Meræ tenebræ (*Eph.* 5. 8.) Sedentes in tenebris, in umbrâ mortis (*Luc.* 1. 79.) Abducti & ſeducti à Deo ad Idola (1 *Cor.* 12. 4.)

[q] Ἔρημος τῆς Θείας γνώσεως καὶ ἄτεκνος, οὐδένα προφήτην Θεοῦ προενέγκουσα ἢ διδάσκαλον. Theophyl. in locum.

[e] Ad principale illud crimen humani generis, ſummumque ſceleris reatum totamque cauſam judicii. *Tert. de Idolol. c.* 1. *p.* 238.

[f] Gregor. Expoſit. in 1 *Reg. c.* 14. Gentilitas nullum cultum Divinitatis tenuit, nullamque in ſe ſpeciem boni operis oſtendit: videlicet, deſerta fuit. In quâ Legiſlator non fuit & qui rationabiliter Deum quæreret non fuit, quaſi hominum nullus fuit, & velut ſolis beſtiis occupata.

[g] Neque Deum cognoſcentes (*Jer.* 10. 25. *Gal.* 5. 8. 1 *Theſſ.* 4. 5. 2 *Theſſ.* 1. 8.) nec à Deo cogniti (*Amos* 3. 2. *Gal.* 4. 9.) [f] Poſiti & relicti extra caulam & ovile (*Joann.* 10. 16.) extra Eccleſiam (1 *Cor.* 5. 12. 13.) extra veram vitem & olivam (*Joh.* 15. 1, 5. *Rom.* 11. 17, 24.) extra fundamentum, extra domum & ædificium Dei (*Eph.* 2. 19, 22.) ſine fœdere (donec Chriſtus iis datus in fœdus *Iſai.* 49. 8.) ſine Chriſto, ſine ſpe, ſine Deo (*Eph.* 2. 12.) O miſerum ſtatum & deploratum! O quàm longe remotum, à bono ſpirituali & ſalutari! Et tamen hoſce omnes tu ſcilicet ponis ſub fœdere, ſub jugo & vinculo fœderis (ut *Ezech.* 20. 17.) ſub alis Domini Jehovæ (ut loquitur Boaz, *Ruth* 2. 12.)

Duc

Duo adhuc ſuperſunt loca, quæ mihi videntur Gentiles relinquere extra fœdus gratiæ; id eſt, extra diſpenſationem fœderis. Primus occurrit *Act.* 14. 16. (Deus) qui in præteritis ætatibus ſive generationibus *Dimiſit omnes* gentes ingredi vias ſuas.

In præteritis ætatibus.] Longo jam tempore, ex quo vixit Joſephus Jacobi filius (inquit Grotius) ſivit, permiſit, ſeu potiùs dimiſit, incedere & agere, ſuo more, ſuo ex arbitrio vivere, nullâ ipſis præſcriptâ ratione religionis, ſuas ſequendo concupiſcentias, errores & falſa numina. (*Synopſ. Criticor.*)

Locus ſecundus habetur, *Act.* 17. 30. Tempora quidem hujus ignorantiæ hactenus diſſimulavit Deus. Ita quidem *Eraſm. Tigurin.* & *Vatabl.* At vero verbum ὑπεριδὼν non ſatis aptè, plenè, aut verè vertitur, *diſſimulare* vel *connivere.* Siquidem apud LXX Interpretes, idem ferè ubique ſonat quod *ſpernere, contemnere, negligere, curam alicujus abjicere,* Vid. Truman, p. 195.

cere, ut videre est apud LXX. *Num.* 22. 30. *Levit.* 20. 4. *c.* 26. 43, 44. *Deut.* 3. 26. *c.* 21. 16. *Deut.* 22. 1. 4. *Job* 31. 19. *Psal.* 55. 1. *Psal.* 78. 59. *Zech.* 1. 12. Item in Apocryphis, *Tobit.* 4. 3. *Sapient.* 19. 22. *Syrac.* 2. 10. *c.* 35. 14. Et ubique ferè redditur à Vulgatâ Latinâ, per *Despicere*; adeóque hoc ipso in loco *Actorum*, sic vertitur, *Tempora hujus ignorantiæ Despiciens Deus*: Et sic Arias Montanus, *Negligens, nihili æstimans*: Sic Stunica Gatakerus (*Adversaria* 31. 331.) *Insuper habens Deus*; ut sit ὑπεριδὼν, ὀλιγωρῶν —— metaphorâ ductâ ab iis qui rem aliquam, quam neglectim habent, ne aspectu quidem, nedum respectu dignantur. * Corn. à Lapide, *Cum despexerit*, permittendo eos idolis servire, quasi eas *non curaret*. Ludov. de Dieu, *Absconditas aliquo* (ut *Deut.* 21. 1, 3, 4.) unde sic accipias, qu. d. quum *absconderit* se Deus à temporibus ignorantiæ. Sanctius; Ita cum eis se gessit, quasi *dissimulaverit* eas ad suam providentiam

* Veluti connivendo præteriit. Ita *J. Boysius*, Canonicus Elienſis.

dentiam pertinere. Vera igitur loci mens & ſenſus videtur, non quod ſalutaris Dei miſericordia iis *pepercerit* vel *condonaverit*, ſed quod eos *neglexerit*, *ſpreverit*, *præterierit* & quaſi *curam abjecerit* (non quoad providentiam ſed quod ad veram pietatem & religionem,) ut verbo dicam (uti conſtat ex loco huic parallelo, *Act.* 14. 16.) quod ſiverit eos ambulare in viis ſuis atque adeo perire in viis ſuis, h. e. in peccatis & erroribus ſuis. Neque enim viæ iſtæ erant viæ Domini, ſed animæ ſuæ, i. e. propriæ voluntatis, uti vox ſumitur, *Pſal.* 82. 12. (ſic Tremellius.) Cui addatur Twyſſius contra Hoard, *p.* 188. Conferantur (inquit) *Act.* 14. 16. cum *Act.* 17. 30. ubi Tempora Evangelium antegreſſa, vocantur tempora Ignorantiæ; adeo ut per vias Gentilium (*Act.* 14. 16.) non aliæ ſint intelligendæ quàm viæ ignorantiæ, viæ tenebrarum; fructus autem non alii quàm opera tenebrarum.

§. 5.

§. 5. Ratio secunda desumitur, à necessitate vocationis, in ordine ad statum gratiæ. Promissio & hæreditas promissa restringitur ab Apostolo ad vocatos, *Hebr.* 9. 15. ut repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis. *Act.* 2. 36. Vobis enim est repromissio & filiis vestris & omnibus qui longè sunt, quoscunque advocaverit Deus. Idem fatetur ipse D. Baxterus, *pag.* 383. *ad obj.* 4. 'In primo (inquit) instanti, omnis 'est verè subditus, qui ad fœdus 'novæ obedientiæ à Deo vocatus 'est & obligatus, & ita hoc reg- 'num Dei est universale. Ecclesia est cœtus vocatorum (inquit Amesius, laudatus à D. Baxtero, in confessione fidei suæ, *p.* 22.) Melanchton de prædestin. *p.* 561. Quos elegit, hos & vocavit; Prima consolatio est quod affirmat nusquam esse electos nisi in cœtu vocatorum. Quicunque igitur aggregantur ad Ecclesiam ut subditi, colliguntur, ad-

Rom. 8.

adducuntur & initiantur tum fœderi tum Eccleſiæ primò per vocationem. Sic de Adamo legimus, *Gen.* 3. 9. Dominus vocavit Adam; Τῇ τῦ ἐλέυ φωνῇ τ Ἀδὰμ ἀνεκαλέῖτο, λέγων, Ἀδὰμ, ποῦ εἶ; * En vocationem expergefactoriam! Succedit conſolatoria, *Verſu* 15. Inimicitias ponam inter te & mulierem. Hæc comminatio Satanæ, nobis promiſſio eſt (inquit L. Crocius [t],) ſequitur enarratio modi & medii redemptorii, *Ipſe conteret caput tuum.* Legimus etiam de vocatione Abrahami, *Iſai.* 41. 2. *Iſai.* 51. 2. Eadem legimus de Iſraelitis, *Iſai.* 41.9. *c.* 43. 1. *c.* 45. 12. Eadem via & methodus, Gentiles ad caulam Chriſti adducit, *Joann.* 10. 16. *Vocem* meam audient, i. e. Evangelium. Tota denique parabola de ſeminatione verbi (*Luc.* 8. 5.) de hoc ipſo agit negotio; ubi etiam indigitatur medium & inſtrumentum vocationis ſupernæ, *Verſu* 11. ſemen eſt verbum. Neque certè ullius vocationis meminit ſcriptura, niſi per vocem

* Baſil. in Pſ. 114. *p.* 310.

[t] In Duodecade, *p.* 155.

vocem aut verbum Dei expressum & traditione propagatum. Gratiam Dei (inquit Lud. Crocius * non à vocatione objectivâ, ex aspectu creaturarum, vel ab instruction naturali ad colendum Deum —— sed à *verbo prædicato* inchoamus. *Idem* (*p.* 691.) vocatio (inquit) & verbum vocationis, salutis humanæ principium est: Quia extra Ecclesiam nulla est salus, [addit etiam] neque sine Fide; Fides autem est ex auditu sive vocatione, *Rom.* 10. 14, 17. Οὐ γὰρ ἀυτόματοι πεπιςεύκαμεν, ἀλλὰ κληθέντες πρόσεληλύθαμεν, Theodorus Cyrensis. Εἰ γὰρ μὴ ἐκάλεσε, πῶς ἐδυνάμεθα πιςεύειν (inquit) Chrysost. Hom. 4. in *Eph.* 2. 8. Credidit Abraham Deo, sed Deo vocanti & promittenti (*Act.* 7. 2, 3. *Rom.* 4. 17, 18.) κἂν γὰρ ἐπιςεύσατε, ἡ χάρις τῷ καλέσαντι, (Theophyl. in 2 *Th.* 2. 14.) & si credidistis, gratia id vocantis est. Cum igitur (ut ostensum est) omnis initium gratiæ, omne principium salutis humanæ fundetur in supernâ

* In Duodecade, *p.* 728.

ſupernâ Dei vocatione, per ſemen verbi vel enarrantis vel promittentis vel invitantis, vel urgentis & præcipientis, & cùm (fatente ipſo D. Baxtero) nemo poteſt fieri ſubditus obligatus (ne in primo quidem inſtanti) ad fœdus novæ obedientiæ, niſi etiam ſit vocatus; [a] oſtendat nobis, quomodo miſeri Gentiles (quorum ſtatum modò dedimus, Ratione primâ) verè dicantur ſubeſſe legi gratiæ, ejuſque regni actu ſubditi? Utpote quibus deeſt ſuperna vocatio, deſunt oracula Dei, quibus nullæ noæ ſunt promiſſiones; quos denique tantùm abeſt ut Deus vocaverit, ut potiùs (teſtante Apoſtolo) eos ſpreverit, dimiſerit, neglexerit, hoc enim eſt, quod inſinuat Apoſtolus cum dicit (*Act.* 17. 30.) τὰ νῦν παραγγέλλει, *Nunc* annunciat hominibus, ut omnes ubique agant pœnitentiam. *Nunc:* ergò novum quid, non anteà generaliter factum. Opponit τὰ νῦν (i. e. Tempora evangelica) Temporibus ignorantiæ paganicæ: Et Annunciationem ſive voca-

[a] Probentur aliquo modo vocati, quibus nec plantator prædicare, nec rigator potuit ſublevare. *Proſper. Sentent. ad quartam p.* 124.

vocationem omnium ad pœnitentiam opponit præteritæ præteritioni. Hinc optimè intelligitur, quid sit ὑπερείδων vel ὑπερεῖδεν, scilicet ex opposito suo, quasi dicat, sprevit antea annunciare, neglexit eos vocare. Vocatio divina, post apostasiam mundi consummatam, intra certas metas κατ' εὐδοκίαν Θεοῦ, dispensabatur, & prout Deo visum fuerat, includebatur, nec ad omnes extendebatur; uti satis innuit salvator, cum dicit, multi vocati, pauci autem electi; neque enim dicit, omnes sed multi. Siquidem (ut Prosper[b]) non remotum est ab inspectione communi, quot sæculis, quàm innumera hominum millia erroribus suis impietatibusque dimissa, sine ullâ veri Dei cognitione defecerint. *Idem p.* 126. Nunquid non sunt de omnibus hominibus, qui à præteritis generationibus usque in hoc tempus, sine Dei cognitione perierunt? —— Nisi enim ipso Vocante, Docente, Salvante, nemo venit, nemo eruditur, nemo salvatur.

[b] Prosp. de Lib. arb. ad Ruffin, *p.* 125. Vide etiam loca è Prospero allegata capite hujus libri quinto, *p.* 188, 189. circa finem.

ratur. Davenantius [c]; Quot nationes in novo Orbe retectas habemus, ad quas salutiferæ veritatis per multa sæcula, ne tenuissima quidem aura pervenit? Nec refragatur Lud. Crocius (in Duodecade, p. 759.) Experientia docet supra mille annos, maximam Mundi partem, justo Dei erga ingratos judicio, in gentili cæcitate & ignorantia, viisque suis relictam esse, ubi sine Deo, sine Christo in Mundo, fuit exors Testamenti & promissionis, *Eph.* 2. 12. Eundem vide *pag.* 158. & *p.* 743.

[c] Dissertatio de prædestin. p. 125.

§. 6. At verò ex omnibus hisce angustiis eluctari, & quasi levi digito se expedire molitur D. Baxterus, Dicendo, *p.* 408. *n.* 5. 'Quod 'Lex gratiæ sive fœdus divinum, 'sicut Adæ ita Noæ cum liberis suis 'datum est, ideoque *Virtualiter* Toti generi humano.

Ex hâc virtuali datione, consequenter fortasse inferet virtualem ad omnes promulgationem, virtualem

alem in omnes obligationem, virtualem denique Vocationem. E contrà, sacra Scriptura (ut priùs dictum) nullam agnoscit Vocationem nisi vocalem & expressam, quæ fit per verbum Dei revelatum, prædicatum, atque ita traditione (orali vel scriptâ) continuatum, deductum & derivatum in posteros. At verò quid sibi vult hæc *Virtualis* sive Datio, sive Vocatio? Latibulum & effugium quærit vir Doctus, in hoc vocabulo (*Virtualis*): Enimvero est quiddam αἰνιγματῶδες, opus est aliquo Oedipo qui solvat & explicet; neque alio utemur præter ipsum D. Baxterum. Cum enim conventus Theologorum, In confessione sua, *c.* 21. §. 7. assereret, Quod per præceptum positivum, perpetuum, & morale universos per omnia sæcula obligans, mandavit Deus ut unus dies in circulo septimanæ celebretur ut Sabbatum; D. Baxterus in confessione suæ fidei *p.* 22. §. 5. 'Intelligo, *inquit*, hæc 'valere, solùm de *Obligatione Vir-*

'*tuali*,

tuali, quanta ſcilicet pertinet ad legem quatenus latam ante promulgationem; neutiquàm verò de *Verâ & Actuali obligatione*. Nulla enim lex obligat donec promulgata; & quæ *poſitivæ* ſunt Inſtitutionis, non per naturam promulgantur; adeóque nec omnibus per omnia ſæcula, adeóque nec obligant omnes per omnia ætatum ſæcula. Quibus ex veris duo colligimus. Primò obligationem *Virtualem*, non eſſe *veram & actualem*; ab eâ enim diſertè contradiſtinguitur per D. Baxterum. Secundò, ea quæ ſunt poſitivæ inſtitutionis, non promulgari ex vi & voce naturæ, adeóque non univerſim, verè & actualiter obligare, niſi eos tantùm ad quos pertingit actualis promulgatio.

Applicentur hæc omnia caſui & rei quæ eſt præ manibus. Fœdus gratiæ (prout, opinor, concedet ipſe D. Baxterus) eſt inſtitutionis purè poſitivæ; pariter etiam ſe habet vocatio, i. e. oblatio gratiæ &

præceptio de eâ amplexandâ (quæ duo, juxta Lud. Crocium, sunt partes Vocationis.) Hæc igitur institutio, oblatio vel præceptio non verè obligat, nisi eos ad quos pervenit promulgatio actualis, & (ut ita dicam) particularis & personalis. Vocationem universalem (seu potius generalem) agnosco in Adâ, in Noâ, atque etiam in prole, quamdiu & quousque permansit apud posteros Traditio de gratiâ de fœdere, de semine venturo & victuro. Hâc verò penitùs extinctâ, cessavit in illâ parte Mundi Vocatio verbalis, vera & actualis, nisi quatenùs excitabantur Gentiles per aliquam famam & celebritatem Ecclesiæ olim Judaicæ, nunc autem Christianæ.

Quod verò D. Baxterus (*p.* 394 *n.* 42.) conqueritur ex hâc coarctatione gratiæ & vocationis intra limites Ecclesiæ, hinc sequi primò istiusmodi homines, etiamdum in viâ, esse apud inferos, & jam damnatos. Secundò, esse extra salutis spem

Baxt. part. 3. p. 22. n. 19.

pem & media. Primum illud ravè nimis dictum eſt, καὶ λίαν περβολικῶς, nam ex infernis nulla edemptio. His autem dum in vis ſunt, adhuc eſt capacitas ſalutis (immo & fidei[e]) licet emota, extat ſalus, licet longinquo. Parata eſt gratia, paratum eſt fœdus gratiæ & miſericordiæ, ex parte Dei inſtituentis; parata eſt redemptio, ex parte Chriſti promerentis & propitiantis; remedium extat paratum ſed diſtans, non propè adſtans. Poteſt autem Deus[f] vel Evangelium ad illos apportare, vel illos (quod non rarò fit) ad Evangelium adducere. Qui nos vocavit quondam longinquos à Deo, poteſt & illos. Quod ad ſecundum, ſcilicet hinc ſequi illos eſſe extra ſalutis ſpem & media: Quidni concedam, id quod diſerte de talibus aſſerit Apoſtolus, 1 *Th.* 4. 12. Spem non habentes. *Eph.* 2. 12. Promiſſionis ſpem non

[e] Poſſe habere fidem, naturæ eſt hominum; habere autem, Gratiæ. *Aug. de prad. ſanct. c.* 5. *Idem ibidem,* Non omnium eſt fides, cum fidem poſſe habere ſit omnium. De nullius ſalute deſperandum, quem patientia Dei ſinit vivere.

[f] Poteſtas noſtra, eſt ipſe Deus. *Aug. in Soliloquiis.*

habentes, immo, ſine Chriſto, ſine Deo, ſcilicet quoad præſentem eorum ſtatum. Tales eſſe extra ſalutis ſpem & media (proxima ſcilicet;) non tamen extra omnem poſſibilitatem ſpei aut ſalutis. Spes adhuc manet, ἐν πυθμένι, in imo dolii, licet non in ſummo. Quamvis enim impræſentiarum, ſint extra olivam, Potens tamen eſt Deus illos inſerere, *Rom.* 11. 23. Et licet extra caulam exiſtentes, poteſt Chriſtus illos adducere, ut audiant vocem ejus, & fiant unum ovile ſub uno paſtore, *Joan.* 10. 16. Quis & Reverendo Thorndicio non gravatim aſſentior, cujus (in *Epilog. L.* 2. *c.* 23. *p.* 185.) hæc ſunt verba; Apparavit quidem Deus Toti generi humano Gratiam illam quæ diſtanter & remotè ſufficit ad ſalutem humani generis. Sed Gratiam quæ immediatè ſufficit ad ſalutem non omnibus dedit, ſed concredidit eam Eccleſiæ ſuæ, ut reliqui provideret, relectis in manu Eccleſiæ mediis ad id ſufficientibus.

§. 7. Per

§. 7 Pergo autem ad Rationem Tertiam, quibuſdam priùs quaſi in nteceſſum præmiſſis & penſitatis. Author Methodi (*p.* 382.) ſubditos regni vel legis aut fœderis gratiæ, in tres quaſi gradus aut claſſes diſtribuit. Primæ, ſunt ſubditi obligati, atque ita omnes & univerſos ſtatuit eſſe ſubditos. Secundæ, ſunt ſubditi conſentientes, ore tenus. Tertiæ, ſunt ſubditi cordicitùs conſentientes. In primo inſtanti (inquit) omnes ſunt ſubditi, id eſt, obligati ad obedientiam, vel ad pœnam. In ſecundo inſtanti, ſoli ſunt ſubditi, Profeſſi, propriâ ſcilicet profeſſione obligati: Nam, uti docet, *p.* 384. *n.* 12. nemo non-conſentiens, eſt plenè ſubditus. In tertio inſtanti, ponit ſubditos plene fœderatos.

Mihi verò penitiùs & accuratiùs ſcrutanti, nemo videtur Subditus, verè Subditus, fœderis gratiæ, niſi aliqualiter conſentiens, id eſt non ſolum obligatus, ſed etiam Profeſſus & propriâ (ſi ſit adultus) profeſ-

sione obstrictus. Ait enim D. Baxterus *p.* 350. *n.* 10. ‘Deus non ‘primò vocat ad consensum fœderationem —— ut ita futuræ ‘obedientiæ fundamentum rectè ‘ponatur. Certe si consensus est fœderatio, nemo fit subditus fœderis gratiæ, ante consensum. Non nego homines, etiam ante consensum, esse obligatos ad consentiendum. Illud enim Methodista hic quidè probat, *p.* 350. *n.* 5, 7, 8. & *p.* 384. *n.* 12. At verò nego inde sequi, eos esse fœderis gratiæ subditos, ante consensum. Docet quidem D. Baxterus (*p.* 384. *n.* 12.) ‘quod nuda legis latio & fœderis ‘promulgatio, sufficit ad homines ‘Deo redemptori obligandos. Ego verò animadverto quod in fœdere gratiæ duæ sint partes, pars promissoria & pars præceptiva. Promissio neminem obligare videtur, nisi promittentem; obligamur verò ad partem præceptivam, hoc est, ad consensum fidei primò (dein ad obedientiam pro futuro) non tam

ex

ex vi fœderis gratiæ, quàm ex vi legis naturæ, cujus primò Subditi ſumus. Hoc ipſe Methodiſta videtur dicere & docere: *P.* 252. *n.* 19. 'Ex lege primariâ fundamentali rectè dictâ, obligati ſumus ad conſenſum. Item, *Part.* 3. *p.* 199. Lex *naturæ* aptè antecedit legem gratiæ. *Part* 1. *p.* 21. *n.* 9. Homines ſumus priùs quam Chriſtiani (vel fœderati) ordine *naturæ*. Item, *Part.* 2. *p.* 443. *n.* 21. Lex *naturæ* adhuc etiamſi violata viget, & ad obediendum obligat, & ad pœnam propter inobedientiam. Idem *Part.* 2. *p.* 383. *ad Obj.* 5. 'Omnes creaturæ rationales, ad o'bedientiam divinam, *naturâ* ſunt 'obligati. Idem, *Part.* 1. *p.* 350. 'n. 8. Lumine *naturali* & ſupernaturali, Deum ſcimus eſſe de jure 'Mundi Regem, & Totum Genus 'humanum, quâ tale, *per naturam* ad 'ipſi abſolutè obediendum eſſe ob'ſtrictum; & quia obſtrictos nos 'eſſe cognoſcimus, *Conſenſum* præ'bemus. Certè ſi naturâ & per

naturam, non ergo per fœdus gratiæ fiunt illius subditi ante consensum: Illius enim legis sunt subditi, unde oritur obligatio, non illius in quam terminatur. Idem *Part.* 2. *p.* 394. *n.* 43. Lex naturæ ‘(lapsæ scilicet) omnes ad resipiscentiam obligat, sicut Lex naturæ ‘integræ priùs ad innocentiam obligabat.

Ex his dictis, à teipso positis, patet, quòd obligatio ista scilicet ad primum consensum, sit ex vi legis naturæ, & antecedit statum Subditi, actu, inquam, Subditi, ad fœdus gratiæ. Talis igitur est hæc obligatio, qualem ipse statuis, gentilibus quibusdam incumbere (*Part.* 2. *p.* 442. *in imâ paginâ*) ‘Omnes ‘(inquis) quibus innotuit revelatio divina Israelitis facta, traditione aliquali credibili, *Jure naturali* fuêre obligati ad inquisitionem diligentem faciendam, ut & Deum verum rectiùs scirent, & omnia quæ ad ipsos pertinerent probè cernerent & tenerent. Quos tamen,

men, quamvis obligatos jure naturali atque ita ſubditos Legis naturæ, non tamen (ut opinor) pones ut ſubditos fœderis illius peculiaris & Abrahamici. Talis etiam qualis reperitur in adhuc Ethnico, qui aliquid inaudivit de Jeſu Chriſto, de promiſſis & præceptis Evangelii, adeóque obligatur Chriſtianiſmum ſuſcipere, necdum tamen intravit in Eccleſiam per Baptiſmum, neque nomen dedit Chriſto. Quæ ſanè obligatio (hîc ſiſtendo) non collocat, neque poteſt eum collocare, ut ſubditum, ſub fœdere Evangelico. Notandum verò quòd hæc obligatio, quæ conſurgit ex lege naturæ, obligat quidem ad primum conſenſum fidei & obedientiæ, erga fœdus gratiæ præſtandæ, ſed non immediatè, nec abſolutè, ſed ex hypotheſi & poſitis ponendis; i. e. non niſi poſitâ & ſuppoſitâ vocatione & propoſitione ſufficienti, poſitâ promulgatione & cognitione fœderis gratiæ; ut ipſe D. Baxterus

rus innuit. *Part.* 2. *p.* 394. *n.* 43. & *p.* 431. *n.* 22.

§. 8. Hinc igitur oritur & efformatur Ratio Tertia, quæ sic se habet; quibus per multa sæcula, nulla erat vel est notitia, aut seminis promissi, aut fœderis gratiæ in istâ promissione fundati; illi non sunt subditi gratiæ, neque obligati, neque professi. At multæ sunt Gentilium myriades, quæ per varia annorum sæcula, nihil nôrunt de semine illo futuro (salutis procuratore,) nihil de fœdere gratiæ in istâ promissione fundato: Ergo, ——

Veritas majoris patet primò, ex concessis à D. Baxtero, qui multotiès primum, in regno gratiæ constituto, facit doctrinam & eruditionem à Deo docente & instruente. *Part.* 1. *p.* 252. *n.* 21. 'Deus ho-'minem regit per modum sapien-'tialem & moralem, (i. e. mentem 'priùs imbuendo & instruendo.) 'Pag. 258. *n.* 13. Pertinet ad Recto-'rem

'rem docere ſubditos — de legum
'& mandatorum ſenſu. *Pag.* 258.
'*n.* 25. Eruditio intellectûs, impe-
'rium voluntatis, & executio per
'potentiam, ſunt totum opus Re-
'ctoris. *Pag.* 386. Deus redemptor
'hominem inſtruit de fine, de me-
'diis, ſub fœdere gratiæ. *Pag.* 245.
'*n.* 12. Regere, eſt intellectum do-
'cendo & ducendo informare. *Pag.*
'246. *n.* 30. Hominem gubernatum
'primò Diſcipuli partes agere opor-
'tet, (i. e. attendere, credere, diſ-
'cere.) *Pag.* 382. In primo inſtan-
'ti conſideratur Homo, ut divinæ
'miſerationis & *ſpei reſtitutæ notitias*
'*accipiens.* Idem conſtat ex uſu præ-
poſitione (*ſub,*) ex ipsâ ratione, & communi hominum ſenſu. In ſacris literis nulli dicuntur eſſe *ſub* lege (*Rom.* 3. 19. 1 *Cor.* 9. 20, 21. *Gal.* 3. 23. *c.* 4. 4, 5. *c.* 5. 18.) vel *ſub* vinculo fœderis (*Ezech.* 20. 37, 40, 44.) niſi ſcientes, conſcii & cognoſcentes. Nemo (inquam) adultorum, niſi qui novit fœdus, vel media cognoſcendi propè & penes

nes ſe habet. Ex adultis (inquam) nemo: Nam de infantibus (fatente D. Baxtero) alia eſt ratio; omnia namque exordia parvulorum, totaque illa principia necdum rationalis infantiæ, ſub arbitrio jacent voluntatis alienæ, nec ullo modo iis niſi per alios conſuli poteſt. Author Libri *De vocat. Gent. L.* 2. *c.*23. *p.* 343. Ut qui rationis uſus adeóque cognitionis, nondum ſunt capaces, & dum in eo ſunt ſtatu, habentur ut partes quaſi & membra parentum, qui tamen ipſi ſunt ſub fœdere cognito & agnito, (*Deut.* 29. 10, 12.) neque cogitando aſſequi poſſem, quomodo quiſpiam verè dicatur eſſe immediatè ſub fœdere vel ſub obligatione fœderis, ipſi prorsùs & penitùs ignoti, & fortean, quoad præſentem ipſius ſtatum (moraliter loquendo) ipſi non-cognoſcibilis.

[g] Diſput. ſelect. *p.* 605.

Rectè Herebordus [g], Qui ſecundùm normam aliquam agere debet, oportet priùs notitiam ejus poſſidere, quomodo enim conformabit

mabit actus ſuos regulæ quam penitùs ignorat? Quomodo pœnas dabit, ſi Lex nequaquam ſit propoſita, neque ipſi cognita? Voluntatem Principis non tranſgreditur ſubditus, cui ea nunquam eſt manifeſtata. Valet hîc maxime, ubi nulla legis cognitio, ibi nulla prævaricatio. Quin & ipſe Baxterus, *Part.* 1. *p.* 179. *n.* 36. ‘Potentia, ‘ſupponit objecti revelationem & ‘debitam propoſitionem. Nobis e‘nim nunquam data eſt potentia ‘aut volendi incognita, aut cog‘noſcendi non-revelata vel non‘cognoſcibilia.

Hactenùs de majori; Accedo ad minorem, ſcilicet, Quamplurimos eſſe & fuiſſe Gentilium, qui per multa ſæcula nihil noverunt de Chriſto aut ſemine venturo, vel de promiſſione aut de fœdere in illâ promiſſione fundato. Relege ſtatum Gentilium prout depingitur è Scripturis (ſub Ratione meâ primâ) & videas, an illi, qui prorsùs deſtituti erant verbo & oraculis Dei, qui

mera

mera nox erant, meræ tenebræ, sedentes in tenebris & in umbrâ mortis, neque Deum cognoscentes, nec à Deo cogniti; longe, procul à Deo; an verisimile sit, hujusmodi homines sibi relictos, à Deo præteritos & neglectos, quicquam de hisce mysteriis cognovisse, vel ex sese (rebus sic stantibus) cognoscere potuisse. Præsertim si advertamus, quòd hujusmodi res totæ pendeant à merâ Dei voluntate quoad esse, & à revelatione Dei, quoad cognosci.

Condonatio peccatorum est puræ gratiæ. Remedium illud ingens lapsæ naturæ, Christus scilicet mittendus & sacrificandus, est quiddam prorsùs supernaturale. Fœdus quod Christum promittit, & gratiam facit peccatorum, est institutionis purè positivæ, adeóque ex parte Dei instituentis, omninò precarium & arbitrarium. Leges etiam (inquit Hookerus[h] noster) quæ spectant ad officia supernaturalia, sunt omnes positivæ. Quo igitur modo, miser

[h] Eccles. Polit. *L.* 1. *p.* 44, 45.

Gen-

Gentilis, in harum rerum tam ſupernaturalium, tam reconditarum, tam ab omni lumine naturæ abſconditarum notitiam, devenire poterat. *Aquin.* 3. *q.* 1. 4. 3. Ea quæ ex voluntate Dei proveniunt, ſupra omne debitum creaturæ, nobis innoteſcere non poſſent; niſi quatenùs in ſacrâ ſcripturâ (i. e. in verbo aliquo revelato) traduntur, per quam divina voluntas nobis innotuit. *Melanct. L. de diſcrim. V. & N. T. pag.* 468. Promiſſio reconciliationis poſt lapſum, non eſt notitia inſita naturæ, ſed eſt vox prolata ex arcano ſinu Patris, quæ priùs ignota erat omnibus creaturis. (Vide è noſtratibus Pembelium *p.* 45.) Adde etiam ipſum D. Baxterum, *Part.* 1. *p.* 22. *n.* 21. 'Quæ 'per evidentiam naturalem non 'innoteſcunt, ſine evidentiâ ſuper-'naturali, ea neque ratio corrupta, 'neque ſana quidem cernere poteſt, (Ideo, ut opinor, dicit *p.* 266. in Margine, 'Quod totum genus 'humanum, revelationi inhiat) 'Idem,

'Idem, *Part.* 3. *p.* 20. *n.* 17, 18. 'Illi quibus hoc promissum de Mes-'siâ, non traditione vel revelati-'one novâ patefactum est, hi nul-lo naturæ lumine, nullâ ordinariâ Dei providentiâ, nullâ experientiâ scire illud potuerunt.

§. 9. Ex jam dictis, satis constat quàm parùm verisimile sit id quod asserit D. Baxterus (*Part.* 3. *p.*368.) scilicet, Totum genus humanum, judicandum fore, secundùm legem Gratiæ, saltem secundùm eam quæ Adæ & Noæ data est. Quid enim? An judicabuntur per legem, tot sæculis apud posteros obliteratam, quæ illis neque nota erat, neque nosci poterat, nisi per novam aut revelationem, aut promulgationem? Agnosco lubens, omnes in illo die esse judicandos juxta illud lumen & juxta eam legem quæ ipsis indulta est & patefacta, sed non omnes juxta legem aut fœdus gratiæ; quia non omnibus indultum. Quicunque sine lege peccaverunt,

sine

ine lege peribunt; & quicunque
n lege peccaverunt, per legem ju-
licabuntur, *Rom.* 2. 12. Qui ſub
ratiæ patefactionibus vixerunt, ex
egibus gratiæ cenſuram & ſenten-
iam ſubibunt: Qui verò extra fœ-
lus & ἐκγονίαν fœderis gratiæ
immò procul ab eâ) degunt, quid
eſtat niſi ut judicentur ex tabulis
aturæ, ex lumine & legibus rati-
nis [i] omnibus indultæ? niſi quiſ-
uam Clementis Alexandrini ſen-
entiam adoptare velit; Qui
Στρωμ. 6. *p.* 637.) Gentilibus mor-
uis, aliud & ſecundum probatio-

[i] Multos per ſolam legem damnari, & non propter Evangelium repudiatum,

ncedit Arminius, *In Exam. Prædeſtin. Perkinſ.* Eos, uibus prædicatio Evangelii non eſt facta, judicatos iri er legem naturæ. *Thorndic. Epilog. L.* 2. *c.* 26. *p.* 220. quem porro, conſule.) *S. Aug. c. Pelag. L.* 4. Dicuntur ine lege naturaliter quæ legis ſunt facere; ut in die judicii olerabiliſus puniantur, quia naturaliter, quæ legis ſunt ut- unque fecerunt. Per Eccleſiam ſuam venit (Chriſtus) ad entes. Reſtat inquirere, utrum hi qui priuſquam Chriſtus eneric in Eccleſiâ ad gentes, & prius quam ejus Evangeli- m audirent vitæ hujus ſive præventi ſunt vel præveniuntur, oſſunt habere hanc excuſationem (ſcilicet *Joann.* 15. 22.) oſſunt planè (ſcilicet quod ad hoc peccatum, non credendi) d non ideo poſſunt effugere damnationem: Quicunque enim ine lege peccârunt, ſine lege & peribunt, *Aug. Tract.* 89. *in Joann.*

nis tempus, novas aliásque leges in mundo animarum, à Deo concedi autumat; salutémque iis ibi offerri, per fidem quasi posthumam hauriendam & concipiendam, et annunciatione Evangelii per Christum vel Apostolos, apud inferos factâ. (Contra quam opinionem disputat S. Augustinus ad Evodium inquit noster Fieldus, *L.* 5. *p.* 461.) At verò qui dicit vel docet, quam plurimos homines, eosque nullibi aut nusquam vocatos, Judicatos iri per fœdus aut legem, de quâ nihil unquam sciverint vel audiverint, in suæ quidem, cui servire statuit, hypothesi multùm fortasse consulere videbitur, parùm verò Justitiæ Divinæ.

Neque tamen is sum qui prorsus negem aliquid Dei fuisse inter & apud Gentiles. Agnosco τὸ γνωστὸν illud τοῦ θεοῦ, φανερὸν ἐν αὐτοῖς (*Rom.* 1. 19.) quæ γνῶσις sive φανέρωσις, satis eos instructos & cautos reddere potuit & debuit, contra omnem Idololatriam, Dei contemptum aut

ut neglectum, vel ingratitudinem
rga Deum (crimina quæ inibi tan-
it Apostolus, *Vers.* 21, 23, 25.)
Quæ tamen cognitio, de Deo &
ivinis, extra metas revelationis su-
ernaturalis, fuit tantum προπορα-
κευὴ (προπαιδεία quædam, ut lo-
uitur *Clem. Alexandr.* καὶ ὑποβάθρα,
uasi imus scalæ gradus) præpara-
oria quidem, & à longe spectans
ivina, at sistendo in scholâ naturæ,
eutiquam salutaris aut salutifera.
Concedi etiam potest, Deum inter-
is etiam quibusdam motibus, gen-
lium corda pulsasse, primò ad e-
nendationem quandam per huma-
iorem & civiliorem vitæ formam.
ecundò ad religiosiorem erga De-
m respectum, scilicet ut ex intuitu,
æ aut beneficentiæ divinæ cessa-
ent à contemptu Dei, neque sibi
mpunè fore peccata existimarent.
Tertiò, ut instigaret eos ad melius
nquirendum (*Act.* 17. 27.) de ve-
o Deo, de modo quo ritè se coli
elit, de verâ Dei Ecclesiâ, ut in
lius communione Deum & salutem

inveniant; sed Inquisitionem han
dico esse tantum pædagogicam, esi
& fieri extra Ecclesiam, nec ef
fectum sortiri salutiferum, nisi du
cendo & perducendo ad Ecclesiam
ad fidem & cultum rectum in com
munione Ecclesiæ.

Horum tamen motuum redden
da aliquando est ratio, & qui hi
initiis desunt vel male respondet
meritò quidem à Deo derelicti ju
dicabuntur, non tamen per Lege
gratiæ (quam adhuc penitùs igno
rant) sed per communem Lege
* naturæ, scilicet ob spreta rectæ r
tionis bonique motus dictamina. N
que enim cujuscunque generis mo
tus aut media, ponunt vel colloca
hominem sub statu aut fœdere gr
tiæ, sed ea tantum quæ sunt prox
ma, immediata, & in suo gene
sufficientia ad salutem.

* Communis est omnibus natura, non Gratia. *Aug. de verb. Apostol. Ser.* 2.

CAPU

Caput II.

Hic verò altius ſe erigit Methodiſta, & ut telam quam rorſus eſt pertexat, pleniùs intat, acritérque contendit (*Part.* . *p.* 19. *n.* 12.) quod dupliciter ex gratiæ univerſalis & initialis, ominibus innoteſcat, partim (quaſi priori) per traditionem; partim (quaſi à poſteriori) per ipſam naturam & opera providentiæ. Primò (inquit) per traditionem ‘ ſiquidem ab Adamo & Noâ toti Mundo tradita fuit doctrina de miſericordiâ Dei, de ejus placabilitate, de poſſibilitate remiſſionis peccatorum & naturæ humanæ reparationis, de Sacrificio propitiatorio, *&c. Part.* 3. *p.* 19. *n.* 8. Fœdus (inquit) Gratiæ initialis vel primæ Editionis, toti generi humano factum eſt, & in Adâ & in Noâ, & per illos ad poſteros tra-

'dendum mandatum est & de facto 'traditum. Respondeo: Legem gratiæ, semel ab initio promulgatam fuisse, lubens concedo, atque etiam de facto traditam fuisse ab Adamo & Noâ (dum in vivis essent) omnibus suis posteris qui tunc extitêre [f]. Experientiâ verò constat, primam hanc promulgationem, in maximâ hominum parte, tandem in oblivionem penitùs venisse, & Traditionem hanc (ab initio) universalem, tandem per multa annorum sæcula prorsus interciſam fuisse, & deletam ex plurimorum hominum (immò Gentium) memoriâ. Nullæ reliquiæ manserunt, nullæ apud Gentiles olim (post tempora saltem Davidica 5) nulla apud Indos novi orbis per multas annorum centurias extant hujus ceu naufragæ traditionis

[f] *Pembelius* p. 45. Non est dubitandum quin Adam liberos suos edocuerit hoc mysterium, atque illi suos etiam liberos, per aliquot successiones. At verò crescente hominum impietate (& ipso mysterio parcius adhuc & obscuriùs patefacto) notitia ejus cito elanguit, immò tantùm non evanuit, etiam inter paucos illos Dei filios, quos novis & iteratis revelationibus jugiter erudire necessum habuit Deus. Apud reliquos verò de mundo impio & socordi, penitùs extincta est & obliterata. Citò dedisscebant id, quod parum morabantur credere.

onis fragmina vel monumenta. Si dicas fuisse, ostendatur è tabulis Antiquitatis, promatur & demonstretur ex archivis Gentium. Hæc enim cum sit res Facti, sine omni probatione Historicâ, gratis fingitur; adeóque illud hîc valet, eadem est ratio non existentium & non apparentium. E contrà, instabis fortasse in ritu Sacrificandi: Indè Deum esse placabilem, communis hominum videtur sensus, semper & ubique perspicuus in universali (qui apud omnes religiones obtinuit) usu & praxi sacrificiorum*; quæ & necessitatem propitiationis & modum placationis videtur apud omnes insinuare. At verò, excipienda est ab hâc universalitate, praxis Pythagorica †, quæ abhorruit ab omni victimâ aut sangùine sacrificiali, ut à re contra naturam, juxta illud Porphyrii, *L.* 4. *de abstin.* c. 15.

* Quæ tamen Sacrificia offerebantur ut Deo debita, ob solam illius ἐπεροχὴν, *Ut ex Porphyrio notat P. Chauvin de relig. nat. Part.* 2. *c.* 1. *p* 224.

† Adde etiam Essenos, qui οὐ ζῶα καταθύουσι. *Philo. L. quod omnis probus, liber.*

c. 15. Τὸ πρῶτον οὐκ ἐθύετο τοῖς θεοῖς, ἀλλ' οὐδὲ νόμος ἦν περὶ τούτου, διὰ τὸ νόμῳ φυσικῷ κεκωλύεσθαι[a]. Excipienda etiam secundò Religio Turcica sive Saracenica, quæ totam ferè Asiam, partem Europæ & Africæ inundavit, neque tamen ullum usurpat vel agnoscit sacrificium. Quod ad cæteras Gentes, mansit apud eos notio de sacrificiis expiatoriis & propitiatoriis in genere, at prorsus periit omnis memoria de Sacrificio illo unicè propitiatorio, in individuo, scilicet de semine illo mittendo, & sacrificando: Periit apud illos omnis typica relatio & ἔφεσις sacrificiorum, ad Christum Christique victimam. Addo etiam tertiò, aliud est nosse Deum esse placabilem, (h. e. non implacabilem) aliud esse placatum. Hoc solum illud est quod spem gratiæ & misericordiæ inducit, fundat & firmat. Quid enim attinet placabilitatem quandam remotam scire in

[a] Dicitur Pythagoras, ob novum εὕρημα Geometricum, mactis bovem immolasse. Sed id quidem non credo, quoniam ille ne Apolloni quidem Delio hostiam immolare voluit, ne aram sanguine conspergeret. *Cicero L. 2. de nat. Deorum, p.* 183.

in genere, ſi ipſum neſcias placamentum in ſpecie *, ſiquidem, non obſtante placabilitate illâ poſſibili, hæret adhuc ſempérque hærebit mens humana ſibi malè conſcia, indefinenter quærens, quo tandem medio, vel cujus ſive rei ſive Perſonæ interventu fiat placatio; & dum hoc ignorat, nihil invenit in quo acquieſcat, nihil in quo tremulum figat pedem. Eſto igitur, quod unà cum ritu ſacrificandi, derivabatur notio quædam de modo & neceſſitate expiationis. At niſi certo noverit peccator quo tandem inſtrumento hæc fiat expiatio; & cum ratio ipſa & rei natura dictet [8] non poſſe eam fieri per bruta ſacrificia (omni ſpecie typicâ exutâ) omnino ad incitas redigetur mens

* Quemadmodum ſi non ſit niſi unicum remedium ut aliquis fugiat mortem corporalem, & tale remedium ignoratur --ſaneperibit ille homo (ſaltem deſperabit de curatione.) *Dom. Bannez, in 2.2æ. q. 2. a. 8. Col.* 348.

[8] Cum ſis ipſe nocens, moritur cum victima pro te. *Cato.*
Heb. 10. 4. Impoſſibile eſt ſanguine hircorum vel taurorum auferri peccata.

His non placatur, pecudum neque ſanguine gaudet,
Sed ſpes & promiſſa fides mortalibus olim
Hæc operata tulit, magnæ Rationis imago
Præmeditata Patris, nimiâ pietate parata,
Venturum Chriſtum terris, hominemque futurum.
Tertull. contra Marcion. c. 2. p. 882.

hu-

humana, neque ullius spei aut speculæ exitum inveniet. Immò exigentia & indigentia expiationis (quæ expiatio nullibi nisi in Christo promisso aut exhibito reperitur) tantùm abest ut spem promoveat, ut potiùs omnem præscindat & pessùndet, & in desperationem adigat, dum ignoratur quid vel ubi vel unde habeatur illa expiatio. Sacrificium expiatorium supponit peremptoriam expiationis necessitatem; generalis autem notio de Sacrificio expiatorio, eoque nusquam (quòd scias) extante vel extituro, nec ullibi determinato ad certam & determinatam particularem materiam, intricat hominem perplexitatibus non superandis, eúmque vel in fœdos errores præcipitat, vel saltem incertum veri & omnis ancipitem spei, immò nudum & expertem relinquit. Aut enim temerè & periculosè errabit in materiâ expiationis, quid pro quo substituens, aut subsistet prorsùs tanquam remorâ ictus, nec

nec quicquàm ultrà progredietur.

Cùm enim omnis expiatio neceſſe ſit ut fiat vel per aliquid noſtri vel per aliquid Dei; ſi prius, tum peccator ipſe ſibi fit placamentum, ſibi propitiatio, ſibi venia, juſtitia & ſalus, & omnia; hærebit in ſe ſolo ſuiſque factis, nec ultra ſe quæret. Sin verò à Deo, nec niſi à Deo, petendus ſit omnis expiationis modus, via & ratio; ſi hæc lateant in abſcondito, ſi nihil de his reveletur aut cognoſcatur, ceſſabit miſeri peccatoris ſpes omnis & peſſum ibit, ſufflaminabitur omnis animæ conatus, ſi, quò vel quà eundum ſit, ignoretur *. Ut verò è diverticulo hoc redeamus in vi-

* Cum verò homo lapſus ſcire poterat, non aliter quàm ex voluntate Dei diſci poſſe, quo modo Deo placere poſſit ejuſque gratiam conſequi: Certè iſtiuſmodi peccatori hoc ſolum & unicum reſtaret agendum; ſcilicet ut ardentibus & humilibus votis à Deo peteret, ut modum recuperandi favoris, & medium reconciliationis ipſe oſtenderet & revelaret.—— Nemo tamen Ethnicorum eóuſque progreſſus eſt, quod ſignum eſt corruptionis univerſalis, prout Apoſtolus (*Rom.* 1. 21.) eò refert hunc univerſalem rationis ſivè abuſum ſive neglectum & defectum in Gentibus. Uti notat *Witichius ad Rom.* 1. 20. *pag.* 50.

am,

am, Damus, promulgationem aliquando factam, ejúſque traditionem per aliqua ſæcula continuatam. Atqui rivus iſtius traditionis, de fœdere, de promiſſione, de ſemine, de procuratore ſalutis, de ſacrificio illo propitiatorio, tandem exaruit & apud Gentiles defecit. Harum traditionum, extra politiam Iſraeliticam, nulla mentio, nulla ſuperſunt veſtigia. De ſcintillis aut igniculis primi illius & veteris protevangelii, verè dici poteſt, quod -- Apparent (non dico rari, ſed) nulli nantes in gurgite vaſto. *Δύω γὰρ κακὰ ἐγκράτεια τῆ ἀνθρώπων φύσεως, ἀγνωσία τῦ Θεῦ, ἣν εἶχον Ἕλληνες, καὶ ἁμαρτία, ἣν εἶχον οἱ Ἑβραῖοι.* (*Theophyl. in Luc.* 1. 79. *p.* 313.)

[h] Exclamat ipſe D. Baxterus (*Par.* 3. *p.* 87. *n.* 27.) in quantas & horrendas tenebras genus humanum præcipitatum eſt. Qui ——non niſi per Deum incarnatum è tenebris craſſiſſimis erui potuerunt. (*Et*, *n.* 28.) Hinc inſufficientia philoſophiæ & ſapientiæ merè humanæ conſtat. Quantillum in Ariſtotele, *&c.* invenitur, de Deo reconciliante, de animarum verâ medelâ, de Spiritu Sancto, de ſpe æternæ ſalutis, *&c.*

Regnabat latè & paſſim apud Gentes, rerum harum divinarum craſſa & plus quam Ægyptiaca [h] ignorantia,

norantia, Velum illud (*Iſai.*25.7.) quod oppanſum eſt omnibus nationibus, nec niſi ſolius Chriſti & Evangelii temporibus tollendum. Sedebant (uti nunc Indi occidentaliores) in tenebris, in ſpiſſâ mortis umbrâ, nullaque iis affulſit aut Lex, aut lumen, præter creperum naturæ lumen, idque magnâ ex parte obtenebratum, & quoad rectam de Deo fidem, cultum aut religionem, prorſus extinctum.

Eſto igitur, fuerit in primo illo orbis ſeminario, Lex gratiæ ſemel aliquando promulgata. Atqui è Suareſio, (ad quem nos diſcentes & docendos mittit [i] Author methodi) ex illo (inquam) diſcimus, præter promulgationem, 'neceſſariam eſſe Legis *Divulgationem*; 'i. e. applicationem illius promul'gationis, ad notitiam vel aures ab'ſentium ad loca (addo etiam ſæ'cula) diſtantia. In quam rem ci'tat verba Aquinatis (1. 2. *q.* 90. '*a.* 4. *ad* 2.) dicentis, Legem ob'ligare, in quantum ejus promulga'tio,

[i] In præfatione ſuâ.

'tic, in omnium (vel in hominum) 'notitiam, per se aut per alios, per- 'venire potest. Cajetanus addit, & 'meritò, hoc non intelligi de po- 'tentiâ Logicâ, quæ non implicat 'contradictionem, sed de politicâ; 'i. e. secundùm ordinem & cursum 'politicum. Hæc Suaresius, de Le- 'gibus, quem vide, *pag.* 152. 2. *p.* 155. 1. *p.* 709. 1. *p.* 711. 1, 2. Adde Suaresio Horneum (*Ethic. L.* 4. *c.* 3. *p.* 618.) Ad promulgationem legis requiritur, non tantum ut rite sanciatur & solenniter proponatur, sed ita etiam divulgetur, ut ad singulorum notitiam pervenire possit.

Cum igitur tam longâ oblivione intercidit omnis memoria hujus traditionis divinæ primitùs datæ; quomodo, vel quo demum pacto, miseris illis, ignaris & derelictis Ethnicis innotescere potuit hæc traditio divina, nisi per novam & reiteratam sive revelationem sive promulgationem & divulgationem? Id quod ipse D. Baxterus plus quam innuit (in loco modò citato, *Part.* 3. *p.* 20.

p. 20. *n.* 8.) Quibus (inquit) hoc promiſſum de Meſſiâ, non traditum vel revelatione novâ non patefactum erat, hi nullo rationis lumine, nullâ ordinariâ Dei providentiâ, nullâ experientiâ illud ſcire potuerunt.

§. 2. Sed huic primo patefactionis modo (ſcilicet per traditionem) uti mihi videtur, parum fidit D. Baxterus, utpote quem non prorſus neque omnibus neceſſarium exiſtimat, uti poſtea patebit. Secundo igitur in loco, confugit (tanquam ad ſacram anchoram) ad φανερώσεις Providentiæ omnibus in univerſum proſtantia & palàm conſpicua; unde ſecundùm ipſum facile colligitur & elicitur fœdus gratiæ & miſericordiæ.

Sic enim pergit, (*Part.* 3. *p.* 19. *n.* 12.) 'Secundus modus (quo Lex 'gratiæ initialis hominibus innote-'ſcit) eſt, *Per ipſam naturam & opera* '*providentiæ*, & quotidianam homi-'num experientiam. Qui enim ex

'miſe-

'misericordiâ vivunt, & quorum vi-
'ta quotidiana beneficiis abundat,
'& qui cernunt Deum erga totum
'genus humanum, viam misericor-
'diæ tenere, & erga neminem viam
'justitiæ rigidæ juxta naturæ inno-
'centis fœdus, hi *facile* hinc colli-
'gere possunt, Deum placatum es-
'se, peccata non tantùm remissibi-
'lia, sed quadantenus remissa; &
'mundum jam non regi juxta le-
'ges primi fœderis justitiæ, sed jux-
'ta leges misericordiæ.

Itáne verò? Facile? Immò (ut, *Par.2.p.392.n.28.*) Facillimé? Immanis quidem pollicitatio, sed vereor ut eventum præstet! Fateor equidem, quòd iis qui difficultèr admodum (ut ipse ibidem fatetur) malum & meritum & malignitatem peccatorum agnoscunt [k], qui vix aut ægre justitiam Dei vindicatricem credunt (ut ipse docet, *Part. 3. p. 353. n. 8.*) His quidem facile, immò facillimum

[k] Sicut cognitio sui, sine cognitione Dei, desperationem; ita cognitio Dei, sine cognitione sui, præsumptionem operatur. *Bernard.*

esse,

esse, quicquid velint concludere. Scilicet, facilè credimus quod fieri volumus,& factum cupimus,& quod fore, nostrî maxime interest. At animis è veterno experrectis, & conscientiis peccato & reatu sauciis, & justo horrore timoratis [1] vix aut ægre admodum quicquam persuaseris de misericordiâ vel Dei vel Christi; ne in hâc quidem tam clarâ luce Evangelii, in quo ingens amor & Φιλανθρωπία, Patris, in & per Filium tam pleno effulget orbe: multò autem difficilius in spissâ illâ caligine status Gentilis aut extra-evangelici; ubi nihil de Semine victrice, de fonte benedictionis, de mediatore, de misericordiæ & salutis procuratore, de modo & medio satisfactionis aut expiationis,

[1] *Lutherus, To.* 4. *f.* 104. In terroribus & sensu peccati non potest mens spem concipere, quod Deus sit misericors, quod peccata velit condonare propter Christum.

Idem, *To.* 1. *f.* 100. Peccator post peccatum, *difficillime* confidit in misericordiâ Dei, adeo urget ad desperationem, peccatum onere suo gravissimum.

Idem, *To* 4. *f.* 118. Hoc facile quidem dicitur, sed in tentatione, cum consilia cum Deo agit, hoc posse præstare, omnium est *difficillimum.*

nihil prorsus, ne πρὸ, ne hilum occurrit; nisi per traditionem, quam periisse penitus & defeciſſe apud istos Gentiles, jam ostendimus; adeóque nullo rationis lumine, nullâ ordinariâ Dei providentiâ, nullâ experientiâ, cognosci potest, nisi per novam aliquam de Cœlo revelationem (uti fatetur, *Part.* 3. *p.* 20. *n.* 8.) Siquidem in secundo hoc, quem asserit, patefactionis modo, ubi recurritur ad nudam naturam & providentiam, seponenda est omnis ratio & consideratio primæ illius & positivæ promulgationis, eorumque omnium quæ inde per solam traditionem (eamq; jam interciſam & amiſſam) derivari possunt aut devenire, in hominum notitiam; Totaque argumentatio & discursus limitandus est & includendus intra metas & sphæram nudæ naturæ, operumque solius naturæ & providentiæ; & hinc demonstrandum, spem veniæ, vitæ & æternæ salutis, spem non modo aliqualem, cui non firmè fidi potest, sed

ſed ſpem certam (uti loquitur, *Part.* 2. *p.* 386.) omnibus univerſim hominibus offerri & innoteſcere.

Cum verò, ex temporali Mundi regimine, clementiâ, patientiâ & beneficentiâ contemperato, Methodiſta infert (*Part.* 2. *p.* 392. *n.* 28.) *Quid obſtat*, quo minus Deum miſericordem, & gratiæ (ſpiritualis ſcilicet & æternæ) largitorem futurum, credamus? Reſpondeo, Si de meris Ethnicis loquaris, obſtant multa. Primò, obſtat defectus mediorum; deeſt verbum revelationis, promiſſionis, invitationis, (*Pſal.* 147. 19, 20. *Eph.* 2. 12.) ſine quo non eſt ubi pedem figat aut ſpes aut fides. Quomodo enim creditur Deo, ubi Deus nihil loquitur? Quomodo ſperatur, ubi nihil promittitur? ἡ γὰρ πίστις, ἐντεῦθεν ἐπαγγελία (Clement. Alex. Pædag. *L.* 1. *c.* 6. *p.* 94.) ubi fides, ibi promiſſio. Rectè Lutherus (*To.* 2. *f.* 280) Deus non aliter cum hominibus unquam egit vel agit, quàm verbo promiſſionis: Rurſus, nec nos cum

Deo unquam agere possumus, quàm fide in verbum promissionis ejus. Obstat secundò conscientia peccati & iræ divinæ impendentis sensus; obstat meritum mortis ἀξ ἀνταξίωμα θεῦ, ipso naturæ lumine satis notum (*Rom.* 1. 32.) ipse fateris (*Part.* 1. *p.* 341. *n.* 53.) 'quod di-'vina displicentia & odium, est in-'evitabile peccati consequens. '(*Item, pag.* 263. lineâ primâ) Quod 'nemo sontium impunitatem sibi 'potest promittere. (*Item, p.* 350, '351, 353.) Peccatum vel levissi-'mum mereri mortem sempiter-'nam, mereri totam pœnam damni '& perpetuam pœnam sensus; hæc-'que omnia etiam obcœcato natu-'ræ oculo (etiam sine & extra 'Scripturas) clara esse (*Pag.* 353. '*prop.* 6.) Adde quod summam Dei sanctitatem & puritatem, justitiam divinam, iram & vindictam in peccata & peccatores, ubique proclamat scriptura (*Hab.* 1. 13. *Psal.* 5. 4. *Psal.* 11. 5. *Psal.* 7. 11, 12. *Prov.* 11. 23.) atque etiam communis

munis hominum ſenſus, ſeveriora hæc Dei attributa, peccatorem experrectum & male ſibi conſcium, altius tangunt, fortius & intimius pungunt, quàm ut levi digito amoveantur. Hæret enim lateri lethalis arundo, & peccatoris animum inſtigat & ſtimulat in has quæſtiones, ſolutu perdifficiles; Quis iram promeritam avertet? Quis læſum Dei honorem redintegrabit? Quis juſtitiæ offenſæ aut violatæ, æquivalens reddet aut rependet? Reatum video, peccatorem me cerno & ſentio; ſed ubi eſt propitiatio? (Ut Iſaac olim, *Gen.* 22.7.) Ubi eſt Victimâ? Certè, qui nôrant promiſſionem de ſemine venturo & Diabolum devicturo, poterant (cum Abrahamo, verſu 8.) reſpondere, Deus providebit ſibi victimam. At, quibus per defectum revelationis vel traditionis, ignotum erat hoc remedium, huic ſive quæſtioni ſive objectioni, nihil habent quod opponant vel reſpondeant. Dico igitur Tertiò, Obſtat

huic spei, omnimoda, & (quoad præsentem & naturalem Gentilium statum) insuperabilis Ignoratio (scilicet) omnis medii satisfactorii vel expiatorii pro peccato. Cujus necessitatem, rationibus à natura petitis ipse astruis (*Part.* 3. *p.* 26, 27, 28. *Disp.* 2.) adeóque necessariam esse probas, ad fines regiminis assequendos, ad honorem legum & rectoris sartum tectum tuendum; ubi tandem concludis (*P.* 28. *n.* 8.) 'Hisce (inquis) suppositis, qui quæ-'rit an Deus consequenter (i.e. post 'legem latam & violatam) mundi 'peccata impune remittere possit, 'idque sine pœnâ vicariâ mediato-'ris, is mihi quærere videtur, An Deus, Mundi jam perfectissimus rector, Mundum insipienter, confusè, injustè, ad peccati decus & suum dedecus, & peccatoris deceptionem & subversionem, possit regere? [m] Adeo, & quicunque sa-

[m] Consule librum (Anglicanum) Domini Milbourne, cui titulus (Mysteria in Religione vindicata) ubi eruditè & egregiè differit de justitiâ Dei, & de necessitate satisfactionis *p.* 15. *p.* 109. (præsertim verò) *p.* 206, 207, 208. *p.* 644, 645, 653, 657, 772, 773, 776.

pien-

pientiam Dei rectoris, & juſtitiam recte novit, non poſſit ſperare in miſericordiam Dei, niſi prius noverit, per pœnam mediatoris alicujus vicariam, conciliari ſibi mutuò hæc attributa.

Videmus igitur, ex præmiſſis, quàm multa obſtent, quò minus concludamus de æternâ Dei miſericordiâ, ex nudo intuitu Mundi & providentiæ; & O miſerum Adamum! O tenue ejus ſolatium! ſi à Deo relictus fuiſſet, fœdus gratiæ & miſericordiæ colligere, ſolum ex regimine Mundi, ex temporariâ Dei patientiâ, ex continuatis creaturarum beneficiis, ſed diminutis admodum & gravi maledictione oneratis. At verò Deus Opt. Max. ut Homini ſpem faceret favoris ſui redintegrandi & recuperandi, non ſatis habuit neque ſatis eſſe vel fore putavit, quòd peccatorem ampliaret, pœnas differendo, nec quòd bona jure amiſſa & forisfacta (licet magnâ cum imminutione) reſtitueret, nec ut nudam

patientiam aut beneficentiam, ei (ejecto tamen à paradiso) ostenderet. Novit Deus hujusmodi intimationes misericordiæ quasi innuendo factas, non satis esse vel fore, ad peccatoris lapsi & dejecti animum erigendum. Ideoque melius multò & fortius cum misero egit; ipsam personam redemptoris indigitavit; ipsum semen, sacrificandum, victurum [n] & triumphaturum, in se susceptum mittendum (*Gen.* 3. 15, 16.) adeóque his verbis particulare & singulare illud remedium reconciliationis nominavit; sine quo pendula fuisset mens peccatoris. Semper enim quærit quærétque animus peccato saucius, quo medio, cujus operâ placabitur Deus; & cum nihil opis in se inveniat, semper hæret, & horret timibundus & tremebundus (velut acus magnete tacta) donec in polum & Cynosuram vitæ & salutis (in Christo promissam aut exhibitam) directo

[n] *Gen.* 3. 15, 16. Ipse, (post passionem in calcaneo) conteret caput tuum, i.e. moriendo vincet. Ideo victor (inquit Augustinus) quia victima.

recto figatur aſpectu. Neque enim jure ſperare poteſt, per ſua ſolum in poſterum officia, Deum immediatè placandum. Nam (ut Hilarius, *in Pſal. 66. p.* 787.) peccato-'rum remiſſio, non probitatis eſt 'meritum, ſed ſpontaneæ indul-'gentiæ voluntas, ex bonitatis di-'vitiis ad miſerandi munus exube-'rans. Quæ miſeratio ſemper ſe exeruit in & per Chriſtum; juxta illud Melanchthonis (*de juſtificatione p.* 93.) 'Patres (inquit) nôrunt 'promiſſionem de Chriſto; quod 'Deus propter Chriſtum vellet 'peccata remittere. —— Ideo gratuitam miſericordiam & remiſſionem peccatorum, fide accipiebant; ſicut Sancti in novo Teſtamento. Rectè etiam & appoſitè ad rem Jacobus Arminius (*in orat. de objecto Theol. p.* 30.) ſuper verba Jeremiæ, *c.*9. 24. 'Ubi miſericordiam 'audis, neceſſariò Chriſtum cogitare 'debes, extra quem Deus ignis eſt 'conſumens. Eadémque docet Chytræus *in Numeros, p.* 61. 'ubicun-'que

'que (inquit) in Psalmis & Pro-
'phetis, Misericordiæ, & in Paulo,
'Gratiæ Dei —— fit mentio, semper
'Christum mediatorem, simul com-
'prehendi oportet; ut in (*Num.*
'6. 21. Deus misereatur tui) sci-
'licet propter Christum intercef-
'sorem.

§. 3. Videamus autem in specie, quid aut unde sit, quo fœdus gratiæ universis & singulis innotescere affirmatur. Tota Methodistæ argumentatio ad tria præcipuè capita reduci, triplicíque fulcro inniti videtur; primò patientiæ divinæ, secundò misericordiæ adhuc parcenti, Tertiò beneficentiæ divinæ, bona terrena continuanti & plura in homines cumulanti. Hæc sunt Topica, Hæ sedes argumentorum, unde universale fœdus & pactum gratiæ, veniæ, vitæ & æternæ salutis, facili negotio concludi, ipsisque omnium sensibus (*Part.* 2. *p.* 392. *n.* 8.) & experientiæ obvium patescere, vult D. Baxterus.

Pen-

Penſitemus verò ſingula. Quod ad primum, liberè & lubens concedo (*cum Apoſtolo, Rom.* 2. 4.) quod patientia & tolerantia divina, quadam quaſi manu ducit ad pœnitentiam. Ducit Deus admonendo officii, ut revertantur ad Deum [o] dat ſpatium & locum pœnitentiæ, & ratione quâdam objectivâ, occaſionem præbet pœnitendi. At dico primò, aliud eſt ſpatium pœnitentiæ, aliud gratia. *Aug. contra Julian. Pelag. L.* 5. *c.* 2. *p.* 231. Quantam libet præbuerit patientiam Deus. Niſi ipſe dederit, quis aget pœnitentiam? Dico ſecundò, aliud eſt, à longè miniſtrare & inſervire pœnitentiæ, aliud, condere legem gratiæ, vel intra veniam & vitam collocare. Rectè Cloppenburgius (*in Syntagm. p.* 714, 715.) Pœnitentia non habet annexam veniam, niſi quatenus per eam communio quæritur cum Chriſto, ut in eo habeatur verum & ſufficiens pre-

[o] *Twiſſ. c. Hoard. p.* 202.

2 Tim. 2. 25.

pretium [p]. Cui addatur Dominus Milbourn (*p.* 772, 773.) supra laudatus; pœnitentia sola, post lapsum, remansit possibilis conditio felicitatis æternæ; quæ tamen invalida fuisset, inefficax & infructuosa, nisi eam reddidisset acceptam sanguis ille Agni mactati à jactis mundi fundamentis. Appositè etiam ad rem, Doctor Sherlock [q], 'Nulla (inquit) 'in orbe religio docuit, certò expe'ctare remissionem peccatorum, so'lùm ob pœnitentiam; —— Tam 'ethnici quàm Judæi existimabant, 'expiationem per sacrificia æque fu'isse necessariam, & magis efficacem 'ad veniam, quàm nudam pœni'tentiam. Mera pœnitentia non ma'gis potest applicare nobis sacrifici'um & expiationem mortis Christi 'in ordine ad veniam, quàm potest 'nos justificare sine sacrificio. Id munus

[p] Davenantii sententia de Gallicanâ controversiâ, *Partic.* 2. Si loquimur de pœnitentiâ quam sequitur remissio peccatorum & vita æterna, non est apta aut sufficiens in se invitatio sive vocatio ad talem pœnitentiam, quæ pœnitentem ad Christum non remittit. Illa autem quæ ad Christum pro expiandis hominum peccatis mortuum remittit, extra Ecclesiam, ubi Christi Evangelium non innotescit, omnino ignota est.

[q] In vindicatione Apologiæ---

'munus & officium peculiariter ſpe-
'ctat ad Fidem in Chriſto vel in
'ſanguinem Chriſti (*Rom.*3.24,25.)
' Similia docent & Patres, *Ambroſ. Apol. David.* 2. Juſtificatur ergò ex fide David, Qui per legem peccatum agnovit, ſed peccati veniam *ex fide* credidit. Idem, *De pœnit. L.* 2. *c.* 8. Et agendam pœnitentiam & tribuendam veniam credere nos convenit, ut veniam tamen *ex fide* ſperemus. *S. Auguſtinus L. de verâ & falsâ pœnit. c.* 2. 'Si fides fundamentum eſt pœnitentiæ —— appe-
'tenda eſt pœnitentia quam conſtat
'*in fide* eſſe fundatam.—— Pœni-
'tentia igitur quæ non procedit ex
'fide, utilis non eſt. Oportet enim
'credi remedium pœnitentiæ à Sal-
'vatore per fidem concedi.

' Spalatenſis, *L.* 5. *c.* 8. §. 17. Non pœnitentia nos ſalvat, ſed fides.

Pergo ad ſecundum, ſcilicet miſericordiam divinam, parcentem, erga genus humanum. 'Ex quo-
'tidianâ experientiâ (inquit D.
'Baxterus) conſtat Deum, mun-
'dum per miſericordiæ & gratiæ
'modum regere & non ex rigore
'juſtitiæ.

'justitiæ. Resp. Parcit quidem Deus mundo, in gratiam Ecclesiæ eorumque qui per singula ætatum sæcula, undique è mundo sunt evocandi in Ecclesiam. At verò non inde sequitur, fœdus gratiæ universalis, totum quaquaversùm genus humanum complectens, omnibus esse indultum aut patefactum. Nam in universali illo & moderato mundi regimine, peculiaris habetur respectus, ad actu fœderatos vel ad nunc & olim fœderandos. Esto autem parcit Deus, neque pœnas pro demeritis hîc exigit. At aliud est, peccatorem ampliare ad tempus, aliud, in perpetuum ignoscere [f]. Aliud, iram suspendere, aliud

[f] Nolle punire, aut non punire, simpliciter, non sunt condonare. *D. Baxt. Part.* 3. *p.* 366. *n.* 14. *Davenant. Dissertatione de prædestin, p.* 183. Sufficit ad propensionem Dei in misericordiam ostendendam, quod omnium misereatur quoad multa misericordiæ effecta. Miserationes Dei super omnia opera sua, esto. At miserationes hæ duorum sunt generum. Quædam communes & ordinariæ, ut vita, sanitas, usus sensuum & membrorum, pax, libertas, quæcunque denique sunt citra mortem & infernum, misericordiam sapiunt. Aliæ vero sunt miserationes speciales, coronantes, (*Psal.* 103. 4.) Misericordiæ Davidis sanctæ & fideles, (*Isai.* 55. 3. *Act.* 13. 34.) Aliud longè est, non velle punire, aliud summo amore aliquem afficere velle. *Episcopius disp.* 22. *de justif. Thes.* 3.

delere

delere debitum, & chirographum cassare aut abolere. Aliud est communis providentiæ dispensatio, aliud οἰκονομία gratiæ, sive Lex remedians, liberans ab irâ, miseriâ & reatu. Donatio veniæ & remissionis necesse est ut fiat per Legem aliquam, per actum Rectoris peculiarem & positivum. Peccatori parcere potest Deus per providentiam, ferre & sustinere potest per patientiam. At aliud est misericordia parcens, aliud misericordia in æternum condonans, & in gratiam rediens. Cum igitur hæc duo, diversi admodum sint generis & toto quasi Cœlo distantia, Argumentatio ducta ab uno ad aliud, quid est, nisi μετάβασις εἰς ἄλλο γένος. Non omnis qui parcit, amicus, (inquit *Aug. Ep.* 29.) uti nec omnis qui verberat, inimicus. Rectè Maresius (*c. Volkel. L.* 1. *p.* 509.) Pœnarum dilatio ad communem providentiam pertinet; ad gratiam verò liberatricem, earundem oblatio per remissionem, vel mutatio

in

in medicinam. Peccator differri potest, ampliari potest quoad executionem, at condonari non potest, nisi per Legem ἀμνηστίας positivè latam. Ad hoc, opus est impromeritâ veniâ, opus est infinitâ misericordiâ donante & condonante, opus est pretio, sacrificio & lytro redimente, quorum omnium nihil prorsus habetur vel invenitur, in deserto mundi; id est, extra Ecclesiam.

Quod ad tertium argumentum, petitum à benignitate & beneficentiâ Dei erga genus humanum, dico cum prophetâ, (*Isai.* 28. 20.) pallium hoc brevius est quàm ut operire possit. *Davenant. de Prædest. p.* 135. Ex eo quod Deus sit naturâ bonus, rectè infertur, illum velle bonum creaturæ suæ, sed non rectè eum velle omne bonum cuivis creaturæ —— Ne in naturæ quidem aut Fortunæ (falso sic dictis) bonis. *Twiss. p.* 32. Bonus est Deus omnibus & benefacit omnibus, miris & multis modi: Neutiquam verò

verò eo modo bonus eſt omnibus, quo modo bonus eſſe dicitur Iſraeli (*Pſal.* 73. 1.) Neque enim taliter fecit omni nationi, *Pſal.* 147. *ult.* Non igitur neganda eſt Dei bonitas, at neque confundenda ſed diſtinguenda. Nam alia eſt bonitas Dei, quâ coronat circulum anni, (*Pſal.* 65. 11.) & quâ plena eſt omnis terra, (*Pſal.* 33. 5.) alia verò eſt copioſa illa Dei Bonitas, quam repoſuit timentibus ſe, *Pſal.* 31. 19. Aliud ſunt Divitiæ benignitatis & patientiæ Dei, (*Rom.* 2. 4.) Aliud verò imperveſtigabilis opulentia Chriſti, *Eph.* 3. 9. Alia denique eſt bonitas Dei (ut eſt author & ſuſtentator naturæ) erga creaturas: Alia verò ingens illa benignitas & Φιλανθρωπία Dei (erga peccatores reconciliandos) quæ apparuit in Salvatore, *Tit.* 3. 4. Prior illa generalis quædam eſt munificentia, quâ Deus bonus & benignus eſt omnibus, etiam ipſis brutis. Secunda verò eſt ſpecialis & inæſtimabilis Dei bonitas, Filium primò promit-

tentis, dein mittentis, & in eo gratiam & pacem largientis: Hæc (inquam) non visitur, non legitur in libro creaturarum. Communia quidem bona & beneficia, bonitatem Dei ostendunt Creatoris, non misericordiam vel εὐδοκίαν redemptoris. Indicia quidem sunt hæc communis Curæ & providentiæ, non documenta vel argumenta fœderis gratiæ. Sparguntur hæc quidem è manu illius Dei, qui solem suum facit oriri super bonos & malos, pluviamque descendere super justos & injustos (*Matth.* 5. 45.) Qui benignus est super impios & ingratos, (*Luc.* 6. 36.) Ducunt hæc ad Deum, omnium datorem & fundatorem; non verò ostendunt, neutiquàm evincunt * eum impromeritæ veniæ & æternæ misericordiæ fore largitorem. Verissimum enim manet illud Ecclesiastis, *c.* 9. 1. Nescit homo per se odium

* Remissio peccatorum non necessariâ connexione resultat à Bonitate divinâ. 9, 10, 11.

Vide Animadversiones in D. Sh. In Præfat. p.

vel

vel amorem, ex ullâ re quæ ante faciem ejus eſt, (ita Piſcator:) Nec amorem Dei nec odium erga ſe vel alios, ſcit quiſquam, ex iſtis externis, (ita Mercerus:) Vel ut Grotius reddit, De quâvis re quæ homini occurrit, neſcit homo an ea proveniat ex amore Dei in ſe, an ex odio. Illudque probat inſuper Eccleſiaſtes, argumento addito, *Verſu* 2. Quia omnia ſimiliter eveniunt omnibus, (πὰ πάντα ὅμοια τοῖς πᾶσι, *Symmach.*) Eventus unus eſt juſto & impio, bono & malo, ſacrificanti & ſacrificia ſpernenti. Majorem præ ſe ferunt ſpeciem, quæ à Viro (cætera eximio) Doctore Moore allegantur in gratiam Philoſophorum, (præſertim Platonicorum) in literis ad Amicum privatis, *p.* 298. Aſſerit eos credidiſſe vel recubuiſſe in eam Dei bonitatem *quæ Chriſtum miſit* in plenitudine temporis.

At verò, num *quâ* aut *quatenus* miſit (vel miſſurus erat) Chriſtum? non diceret, uti auguror, utpote

qui novit eos, tum miſſionis tum mittendi prorſus fuiſſe ignaros. Aliud eſt credere in eum qui miſit, (ſenſu materiali & ſpecificativo, ut loquuntur;) aliud, credere in mittentem (formaliter & reduplicativè) quatenus mittentem vel miſſurum. Non ſufficit ad vitam, credere aliqualiter in mittentem, niſi etiam credatur in mittendum vel miſſum, (*Joan.* 17. 3.) Et, (ſi juxta noſtros inadæquatos conceptus liceat diſtinguere,) aliud eſt agnoſcere & amplecti bonitatem Dei quæ mundum creavit, ſuſtentat, implet; gubernat (quod erat Philoſophorum;) aliud recumbere in bonitatem illam ineffabilem, quæ miſit vel mittendum promiſit, Hominum redemptorem (quod erat piorum olim & Patriarcharum, & nunc Chriſtianorum.) Sed hæc obiter: Redeo ad D. Baxterum.

§. 4. Ex jam dictis, ſatis ut opinor patet, Totum hoc genus argumentationis Baxterianæ, petitum à naturâ

naturâ & operibus naturæ, mundique regimine, labile nimis esse & sublestum, obscurius & incertius, quàm ut in eo fundetur fœdus gratiæ, vel ut inde innotescat.

Fateor equidem quod spectabilis semper erat in mundi compage, ordine & moderamine, Dei sapientia; sed testante Apostolo, (1 *Cor.* 1. 21.) Mundus per istam sapientiam non cognovit Deum. *Theophyl. in locum*, Εἶχον μὲν διδάσκαλον οἱ Ἕλληνες, τὴν σοφίαν τοῦ Θεοῦ, τὴν ἐν κτίσμασι δηλαδὴ θεωρουμένην, οὐκ ἔγνωσαν δὲ τὸν Θεόν. *Theodoretus de Provid. L.* 10. *p.* (*mihi*) 232. Vidit Τὴν κτίσιν φαινομένην καὶ τὸν δημιούργον κηρύττουσαν, πεῖσαι δὲ οὐ δυναμένην.

Lactantius, *L.* 1. *c.* 1. (De eximiis Philosophorum agens) Magno (inquit) & excellenti ingenio viri, cum se doctrinæ penitus dedissent, quicquid laboris poterat impendi (contemptis omnibus, & privatis & publicis actionibus) ad inquirendæ veritatis studium se contulerunt, existimantes multo esse præclarius

humanarum divinarúmque rerum investigare ac scire rationem, quàm struendis opibus aut cumulandis honoribus inhærere. Sed neque adepti sunt id quod volebant, & operam simul & industriam perdiderunt; quia veritas, i. e. Arcanum summi Dei qui fecit omnia, ingenio ac propriis sensibus non potest comprehendi. Deficit enim hîc rationis lumen, neque per se assurgere valet in cognitionem eorum quæ sunt Dei ac Salutis. Sunt enim hæc & hujusmodi, profunda & secreta Dei, (1 *Cor.* 2. 10.) Utpote quæ prorsus & omnino pendent à merâ & purâ Dei voluntate, nec revelanda nec cognoscenda, nisi per Spiritum Sanctum manifestantem, (*Vers.* 10, 11, 12.) Recte Hookerus, (*p.* 49.) Lex rationis aliqualiter dirigit homines, quo modo Deum Creatorem honorent: At quo modo glorificetur Deus, tali ratione, qualis requiritur in hunc finem, ut sit nobis Salvator æternus, docemur ex divinâ lege, quæ in supernaturalibus

bus ſola docet ac ducit. *Idem, p.* 38. Leges, circa talia, ſunt ſupernaturales, tam quoad modum tradendi, qui eſt divinus, quàm quoad res traditas, quæ ſunt ejuſmodi, ut nullam habeant in naturâ cauſam, ſed pendent ab arbitrariâ Dei conſtitutione & diſpoſitione. Agnoſco lubens illud Apoſtoli, *Act.* 14. 17. Deus nunquam reliquit genus humanum ſine ſui teſtimonio. Sed & illud Proſperi (ſi modo Proſperi) adjungo, *De Voc. Gent. L.* 2. *c.* 12. *p.* 340. Tam acerbo natura humana vulnere eſt ſauciata, ut ad cognitionem Dei, neminem contemplatio ſpontanea plenè valeat erudire, niſi obumbrationem cordis vera lux diſcuſſerit. Illud etiam (indubiè Proſperi,) *L. de lib. arb. ad Ruffin. p.* 125. Si iis (i. e. Gentilibus,) vel naturalis intelligentia vel uſus beneficiorum Dei ad capeſſendam vitam æternam ſufficere potuiſſet, noſtro etiam tempore, rationalis nos contemplatio & temperies aeris & fructuum co-

pia ciborumque salvaret; quia scilicet melius naturâ utentes Creatorem nostrum propter quotidiana ejus dona coleremus. *Sed absit* ab animis piorum & sanguine Christi redemptorum, *stulta* nimium & *perniciosa persuasio.* Accedat ultimò, è neotericis, Ludovicus Crocius (in nonnullis D. Baxtero ὁμόφηφος) qui *in Duodecade*, *p.* 712, fatetur, Hæ collucentes in mundi opificio lampades, per se sufficienter non erudiunt, nec in rectam salutis viam quemquam possunt perducere, sine revelatione ulteriori.

Cui adjungi potest Thorndicius, *in Epilog. L.* 2. *c.* 25. *p.* 207. (Agens de lege naturæ, sub quâ degebant Patriarchæ, insuper addit) Quam (legem naturæ) si intelligimus ita vocari, quasi lumen naturæ satis eos instruxerit, viresque suffecerit ad placendum Deo; non solum contradicimus fidei hactenus adversus Pelagium propugnatæ, sed etiam contravenimus & adversamur

ſamur Scripturæ phænomenis, & revelationibus de commercio Patrum cum Deo, per quod evaſerunt in amicos Dei.

§. 5. Hîc verò notandum, quod hypotheſis Baxteriana (prout ab ipſo explicata) hanc quaſi caudam poſt ſe trahere videtur, ſcilicet Fidem ſalvificam prorſus naturalem, & per media naturalia acquiſitam, quam neceſſe eſt ut aſtruat in ordine ad eorum Gentilium ſalutem, quibus deeſt omnis promiſſio, omnis revelatio ſupernaturalis, quibuſque nulla remanent protevangelii veſtigia. Cum enim apud hos notitia fœderis gratiæ, à methodiſtâ reducatur & reſolvatur in naturam, & opera Providentiæ naturalia & ordinaria, (*Part.* 3. *p.* 19. *n.* 12.) Neceſſe eſt ut fides huic fœderi reſpondens, reſolvatur etiam in eadem principia. Undecunque enim ſurgit notitia fœderis, inde etiam ſurgat oportet congruæ fidei origo. Graviſſimi Theologi, Fidei divinæ mira-

miracula ut motiva substernunt, utpote quæ certissima sunt Deitatis & divinæ missionis testimonia, eaque supernaturalia. At hujus inter Ethnicos fidei (siqua sit) analysis, juxta D. B. fit, in naturalem ordinariæ Providentiæ cursum; uti etiam luculenter constat ex mediis, quibus, secundùm methodistam, in notitiam fœderis devenitur. Perpendantur loca sequentia, *Part.* 2. *p.* 386. 'Deus (in regno gratiæ 'universalis) retrahit homines ad 'Deum —— per gratiæ beneficia, '(scilicet)—— dando & continuando ipsam *vitam*, *vitæ solatia* & u- 'triusque media, — naturalia om- 'nia antedicta sanctificando ad sci- 'entiam & amorem Dei. *Pag.* 392. '*n.* 28. Ex *effectis omnibus* (Pro- 'videntiæ scilicet) *patefit*, Deum 'peccatorum misertum esse. *Part.*3. '*p.* 222. *Ordinatio* creaturarum & '*mundi regimen* in genere nobis de- 'monstrant Hominis statum recon- 'ciliationis aliqualis, — redempti- 'onem aliquam esse factam hæc om- 'nia

'nia peccatoribus procurantem. 'Part. 3. p. 223. n. 3. Obliteratus 'creaturarum liber, reſtitutus fidelibus 'jam Deum omnipotentem, ſapien- 'tiſſimum, optimum, Dominum, Re- 'gem, benefactorem exhibet. Part. 1. 'p. 207. n. 2. 3. *Legem naturæ*, in 'ſenſu primario, eſſe voluntatis di- 'vinæ —— Significationem, per Re- 'rum, præcipuè ipſius hominis *na- 'turam*, factam, ad fines regiminis 'à Deo ordinatam. Part. 2. p. 387. 'Deus, in regimine gratiæ univer- 'ſalis —— erudit intellectum do- 'cendo *per Librum naturæ*, vel na- 'turam ut ſignificativam, per re- 'rum mutationes, per divinam Pro- 'videntiam. Part. 2. p. 390. n. 16. 'Eruditio per opera naturæ, jam 'redemptoris & gratiæ opus eſt. 'Ibidem, n. 8. *Naturæ dona* & crea- 'toris beneficia, ut poſt peccatum 'non ablata, *Gratiæ operibus & do- 'nis*, ſunt annumeranda. *Ibidem*, 'p. 14. Deus redemptor *communia* 'plurima toti generi humano gra- 'tiæ beneficia concedit, ſcilicet vi-

'tam,

'tam, tempus, facultates, objecta 'instruentia, *&c. Ibidem, n.* 17. 'Providentiæ variæ rerum mutatio- 'ones, ut à redemptore jam factæ 'sunt, ita redemptoris *instruentia* '*media* sunt.

Annon hoc sit, cum Pelagio, Gratiæ specie, elogio & nomine naturam incrustare, judicent doctiores. *Davenantius, Dissert. de morte Christi, c. 6. p. 59.*

Part. 3. *p.* 67. *n.* 6. 'Sicut lege 'naturæ integræ, in creationis ope- 'ribus & menti humanæ inscriptâ, 'regendus erat homo integer (po- 'sitivis tamen insuper etiam ad- 'ditis;) ita & lege naturæ lapsæ, 'in redemptoris operibus & bene- 'ficiis & conscientiâ humanâ inscri- 'ptâ, regitur mundus redemptus; 'supernaturalibus insuper Ecclesiæ 'revelatis & donatis. [Ergò fate-

Quia luce meridianâ clarius liquet, Ethnicis & Paganis, quibus nunquam affulsit Lux Evangelii, non esse data media quæ immediatè sufficiant ad fidem in iis producendam; eò confugiunt, ut dicant etiam talibus dari semper media sufficientia, quibus mediate & quasi per gradus ad fidem Christi duci possent, si istis bene usi fuissent: Si quis autem quærat quæ sint illa gratiæ media, quæ omnibus prostare, omnesque ad fidem Christi sufficienter ducere potuissent, *Naturam Gratiæ* nomine obvolutam nobis obtrudunt. *Petr. Mart. L. C. Class.* 3. *c.* 1. Dum isti sic gratiam faciunt omnibus communem, illam vertunt in naturam.

'tur

'tur D. B. ſepoſita revelatione ſu-
'pernaturali, ſoli Eccleſiæ factâ, cæ-
'tera illa omnia eſſe tantum natu-
'ralia. *Part.* 3. *p.* 368. (in imâ pa-
'ginâ) Mundus reliquus, (i. præter
'Chriſtianos & Judæos) totus ju-
'dicabitur per Legem gratiæ Ada-
'mo & Noæ datam promulgatam &
'patefactam per Providentiam, (i.e.
in ordinariæ Providentiæ effectis &
mutationibus elucentem, & inde
colligendam.)

Part. 2. *p.* 444. *n.* 8, 10. (quæ-
rit) 'Nonne melior erat Gentium
'aliarum ſtatus, (i.e. melior quàm
'Judæorum) quæ ceremoniarum
'hâc mole non erant oneratæ?
'Reſp. Minimè, à Deo quippe per
'apoſtaſiam alienati, per elementa
'hæc (ſcilicet Judaica) ad illum
'potiùs reduci potuiſſent, quàm
'per *ſola Dei opera naturalia.* [Ubi
'apertè ſatis innuit, Ethnicos in
'tenebris apoſtaſiæ relictos, per ſo-
'la Dei opera naturalia inſtrui & e-
'rudiri.]

Ex

Ex hisce jam citatis (quibus alia ejusdem generis addi possunt) clarè satis (uti mihi videtur) patefit, Quod D. B. fidem nobis propinet naturalem; è seminio solius naturæ ortam & natam, uberibus naturæ lactatam & enutritam; i. e. motivis merè naturalibus, certè non supernaturalibus suffultam & inædificatam. Quid enim sunt vitæ solatio continuata, ordinatio creaturarum, regimen mundi, rerum mutationes, providentia ejúsque effecta, beneficia naturalia, naturæ dona & creatoris beneficia, Quid (inquam) aliud sunt hæc omnia quàm natura & opera Providentiæ, (uti vocat, *Part.* 3. *p.* 19. *n.* 12.) Ordinariæ scilicet operantis per modum naturæ?

Quid etiam est Creaturarum Liber, quid eruditio per opera naturæ, media scientiæ naturalia, Lex in operibus & beneficiis Dei & conscientiâ humanâ inscripta, aut Lex per Providentiam (objective scilicet) promulgata & patefacta? Quid aliud

aliud ſunt aut ſonant hæc omnia, niſi media naturalia, ſphæram naturæ haud tranſcendentia? Nova quidem hæc ſunt & dura admodum in Theologiâ Chriſtianâ. Aliter enim multò, & aliusmodi fides eſt quæ deſcribitur, ſive in Sacris Literis, ſive in Patrum aut Theologorum Scriptis. Aliter nobis depingitur fides Evangelica; ſcilicet ex verbo fidei prædicato, (*Rom.* 10. 8.) Ex auditu fidei, (*Rom.* 10. 14. Quo modo credent ei quem non audierunt? Quo modo audient ſine prædicante? Et *Verſu* 17. Fides eſt ex auditu, auditus autem per verbum Dei.) Aliter etiam Fides perhibetur Ante-evangelica, quæ expreſſò aut verbo aut promiſſo Dei ſemper inædificatur. Sic fides Abrahæ, *Rom.* 4. 20. Credidit Abraham Deo; ſed promittenti, ſecundùm quod *dictum* eſt illi, ſic erit Semen tuum, (*Verſ.* 18.) Sic fides Pſalmographi, *Pſal.* 56. 4, 11. In Deo laudabo verbum ejus; In Jehovâ laudabo verbum; Deo fidam, *Pſal.* 135.

135. 5. In verbo tuo speravi. Multoties verò in *Psal.* 119. *Vers.* 38. Confirma servo tuo eloquium; i. e. promissum tuum, *Versu* 41, 42, Veniat super me misericordia tua, salutare tuum secundùm verbum tuum. Misericordia (inquit *Hilarius*, *p.* 874.) primùm oratur, salus etiam expectatur à Deo. Deinde eam spospondisse per *verbum* suum Deus ostenditur, *Vers.* 49. Memento verbi tui servo tuo, in quo sperare me fecisti. Dei sermo (inquit *Hilarius*, *in locum*, *p.* 878.) Scripturis divinis continetur, in spem nos bonorum cœlestium vocat. *Vers.* 114. In verbum tuum speravi. (*Idem*, *Hilarius*, *p.* 927.) Sperat ergo quæ verbo Dei; id est, dictis Propheticis continentur; sperat enim vel retributionis fidem in vitam spiritualem, vel ipsum illum Domini nostri adventum expectat, eadem fere occurrunt, *Vers.* 58, & 147. Similiter etiam apud Patres alioque Theologos, fides statuitur supernaturalis, & objectum fidei semper à verbo incipit

incipit, & in verbum desinit vel revelatum vel prædicatum vel traditione haustum. Basilides olim cum sequacibus, Φυσικῶ ἡγῆνται τῆ πίστιν, uti testatur Στρωματεύς, (Στρ. 2. *p.* 363.) E contrà disputat *Clem. Alex.* (*p.* 362. *b.*) asseritque fidem esse ὑπόφυσιν (vel ὑπόφυσιν) θεωρίαν, i. e. contemplationem prorsus supernaturalem. *Idem Clemens*, Στρ. 2. *p.* 371. Πιστὸς δὲ, ὁ ἀναμφιβάτως τηρητικὸς τῆς ἐγχειρισθέντων, i. e. fidelis Is est, qui servat quæ *Tradita* sunt; tradita per manus, per ora vel aures; non quæ colliguntur ex contemplatione naturæ vel Providentiæ. *Basilius* ubique asserit Fidem esse, Τῶν ἀκουσθέντων, τῆς κηρυχθέντων, τῆς εἰρημένων, τῆς θεοπνεύστων ῥημάτων. Vide ejus moralia, *To.* 2. *p.* 386, 387. Eundem etiam De vera fide, *To.* 2. *p.* 250, 251. Accedat Scholasticorum & neotericorum calculus, *Aquin.* 2. 2ᵃᵉ. *q.* 1. *a.* 9. *c.* Non enim fides assentitur alicui nisi quia à Deo revelatur. *Idem*, 1. *q.* 1. *a.* 8. 2ᵐ. Fides innititur revelationi, Apostolis

lis & Prophetis factæ. *Biel. 3. Sent. Diss.* 23. Fides definitur, notitia adhæsiva, certa & firma, veritatis ad religionem pertinentis, per *revelationem* acceptæ.

[u] P. 54. Lutherum supra [u] dedimus. *Melancth. de Justif. p.* 91. Quoties fit mentio misericordiæ, sciendum est, quod fides ibi requiritur, quæ *promissionem* misericordiæ accipit. *Idem Melanch. de vocabul. fidei, p.* 419. Fides est assentiri *universo Verbo Dei* nobis proposito, adeóque & *promissioni* gratuitæ reconciliationis donatæ propter Christum mediatorem. *Amyrallius Salmur. p.* 271, 272. Neque quisquam credere potest Deum fore propitium, nisi priùs id ipse Deus ostenderit; neque in animum inducere ut seriò à peccatis resipiscat, nisi sciat seriò resipiscenti veniam apud Deum certissimè paratam; juxta illud (*Psal.* 130.) Penes te est remissio, ut timearis: Consentaneum igitur fuit, ut omnibus *annunciaretur:* Aliter enim fides & pœnitentia, non potuit

tuit convenienter imperari. Vide etiam, quæ ſupra ſunt dicta (*Pag.* 22.) De κλήσει divinâ, præſertim verba Crocii (*in Duodec. p.* 728.) ſic profitentis, Gratiam Dei, non à vocatione objectivâ, ex aſpectu creaturarum vel ab inſtructione naturali ad colendum Deum, ſed *à verbo prædicato*, inchoamus. Cum igitur, ut oſtenſum eſt, ex tenore Scripturæ, ex Patrum ſuffragiis, ex communi Scholaſticorum & Theologorum ſenſu, & conſenſu, fides ſit res ſupernaturalis, res quæ Verbo Dei alicui expreſſo & revelato tanquam baſi & fundamento ſemper innititur, qualiſnam (quæſo) eſt illa fides, quæ (ſecundùm methodiſtam) ſolius naturæ diſcipulo, in miſericordiam Dei fertur, ſine ullo verbo, ſine ullâ revelatione ſupernaturali, ſine ullâ promiſſione? Certe pura puta naturalis, & fundamento caſſa; non ſupernaturalis, cujus fundamentum in montibus & è ſupernis. Sicut enim venia eſt quiddam ſupra legem, ὑπὲρ τὸν νόμον, ὅτι χάρις,

(*ut Justin. Resp. ad qu.* 104. *p.* 460.) ita fides vera, vivida, & salutifera, est ὑπὲρ τὴν φύσιν. *Juxta Theophyl.* (*in Rom.* 1. 17.) Ἐπειδὴ ἅπερ ἡμῖν ὁ Θεὸς ἐχαρίσατο, ὑπερβαίνει τὰς ἀνθρωπίνας λογισμὰς, εἰκότως ἡ πίστις δεῖ ἡμῖν; i. e. cum ea quæ nobis indulsit Deus, transcendant rationes humanas, merito fide opus est (fide apprehendente, & Deo loquente, & verbo revelante.)

Si amor Dei erga homines; i. e. si misericordia Dei condonans & in gratiam rediens, homini debita esset vel naturaliter necessaria, posset illa quidem, duce naturæ, cognosci sine revelatione supernâ; quoniam verò, quamvis quoad radicem intimam Deo sit naturalis, tamen quoad egressum ejus ad peccatores, est pure libera, arbitraria & omnino precaria, non potest nisi à Deo ostendente patefieri. Uti notat *Clem. Alex.* (Στρω. 2. *p.* 362.) in verba Mosis, (*Exod.* 33. 18.) Ἐμφάνισόν μοι σεαυτόν. Uti etiam patet ex sequentibus in *Versu* 19. Miserebor cui voluero (sic vulgata)

gata) & clemens ero in quem mihi placuerit. Neque enim lux rationis aut lumen naturæ (aut revelationis) certiores nos facit ullius obligationis, quâ Deus tenetur bonitatem ſuam, gratiam, veniam aut miſericordiam peccatoribus impertire, niſi quam ſibi fixit ſuprema ejus & arbitraria εὐδοκία, quæ eam æque indigis aut indignis libere diſpenſat aut negat.

Caput III.

His ita expeditis, ad aliam Provinciam me accingo, eò magis duram & difficilem, quò minùs claram & apertam, tenebriſque aut nebulis circumſeptam. Neque enim animi ſui ſenſum adeò diſtinctè promit Author Methodi, ut certò ſciam quò dirigendus ſit ſermonis ſive curſus ſive ictus. Et (uti loquitur Apoſtolus, 1 *Cor.* 14. 9.) Si incertam vocem det tuba, quis ſe parabit ad pugnam? Adeò enim ἀλλοφρόσυνος, adeò variè (nè dicam deſultoriè) ſe hîc gerit Methodiſta, adeò verſat & mutat ſuas loquendi formulas, ut penè neſciam,

Quo teneam modo mutantem Protea vultum?

Sed ad rem ipſam venio; Quæritur, quænam vel qualis ſeu potius quanta & quouſque ratione objecti, ſe extendat illa fi-

des,

des, quæ ſub primo illo fœdere gratiæ univerſalis, ſecundum D. B. ab omnibus omnino requiritur ut conditio ſalutis; utrum ſcilicet ad fidem ſalutiferam, ſemper & ubique neceſſarium fuerit, ut intuitu ſuo & aſpectu ferretur in Chriſtum, ut promiſſum ſalutis, veniæ ac vitæ Authorem, ſive ut terminaretur in Meſſiam venturum, ut gratiæ procuratorem, ac hominis redemptorem & ſalvatorem?

Parti affirmativæ, favent Dicta D. Baxteri ſequentia. *Part.* 2. *p.* 381. 'Ubi, ut primum fundamentum fidei & fœderis ponit promiſſionem de Chriſto incarnando, 'de eo ut Sacrificio pro peccatis, 'ut capite Eccleſiæ, ut victore Satanæ, peccati & mortis: Dein ſubjungit ipſam gratiæ legem, quæ 'remiſſionem & vitam donat peccatori, ſub lege (hujus ut videtur) fidei. *Pag.* 400. Inter virtutes Abelis recenſetur, peccatorum 'confeſſio & juſtitiæ divinæ pœnam exigentis agnitio, per ſacri-

'ficia. *Item*, Fides in Deum misericordem, & in *Semen promissum*, 'pro peccatis sacrificandum. *Item*, 'p. 402. *n.* 24. Fides in Deum redemptorem & in semen Sanctum 'sacrificandum, fuit Abelis justitiæ '& cultus, acceptabilis origo. *Pag.* '431. *n.* 22. Qui à Deo obligati 'sunt, toto corde eum diligere, & 'Sanctos esse, sicut Deus Sanctus 'est, & ita corda habere circumcisa, & ad imaginem divinam reformata (quæ omnia gloriæ cœlestis sunt & media & arrhabo, & 'salutis ipsius initia.) Hi procul-'dubiò itidem *sunt obligati* ad credendum tale fœdus quoddam divinum, quod cœlestis gloriæ jus, 'conditionem præstantibus, verè 'tribuit; & *Messiam* fore fœderis 'illius mediatorem, salutis ducem '& procuratorem, remissionis item 'peccatorum, auxilii specialis & 'gloriæ Cœlestis causam & subdonatorem; *ubi saltem* promissio 'de Messiâ promulgata sit. *Pag.* '418. *n.* 2. Justificatus fuit Abra-

'ham,

'ham, per eandem Dei miſericor-
'diam, per eandem Dei gratuitam
'donationem & conditionem, &
'per fidem in ſemen promiſſum. Et
'*n.* 4. relatio quædam ad Chriſtum
'aut promiſſum aut incarnatum, ad
'juſtificationem etiam neceſſaria
'fuit; ut ii ſcilicet ſimus & repu-
'tati ſimus —— Qui in Deum re-
'demptorem credimus *& in ſemen*
'*promiſſum* aut jam incarnatum, *in*
'*quantum* nobis revelatum eſt. *I-*
'*dem*, *Part.* 3. *p.* 20. *n.* 17. (7.)
'Certum eſt Deum Adamo, ſemen
'mulieris caput ſerpentis contritu-
'rum promiſiſſe, & ita *quoad neceſſi-*
'*tatem præcepti* ſaltem, promiſſio-
'nem hanc neceſſariò ab *omnibus*
'Adami poſteris credendam eſſe,
'*quibus patefacta* eſt. *Part.* 2. *p.* 397.
'*n.* 70. Deus inter priorum ſæcu-
'lorum fideles, proculdubiò notus
'fuit in tribus ſuis principiis eſſen-
'tialibus & operationibus; videli-
'cet, in ſuâ omnipotentiâ (princi-
'pio primo,) in ſuâ *ſapientiâ &*
'*Verbo*, ut principio ſecundo (eo-
'que

'que ut *incarnando*, in Ecclesiâ se-
'lectorum ;) & in Spiritu amoris,
'operationum perfectore, ut prin-
'cipio tertio. *Part.* 3. *p.* 300. (in
'summâ tabulâ) Fœderis vel legis
'gratiæ universalis Adami & Noa-
'chi, *conditio fuit*, (primo) Fides in
'Deum misericordem, redempto-
'rem promittentem, & in *semen*
'*promissum*, (*ut* revelatum). *Part.* 2.
'*p.* 394. *n.* 40. Promissio de semine
'mulieris, caput Serpentis contritu-
'ro, Adamo facta, ab ipso ad po-
'steros tradenda erat, & ex istâ tra-
'ditione totus Mundus in Semen
'Sanctum, triumphatorem de Sata-
'nâ, morte & peccato, *Credere tene-*
'*batur*. De obligatione igitur ad *of-*
'*ficium fidei Talis*, non est dubitan-
'dum.

Speciosa quidem hæc sunt (quam-vis ambiguè dicta) in partem af-firmativam : At verò expressiora & fortiora sequuntur in negati-vam.

Part. 2. *p.* 393. 'Non æque ne-
'cessaria est fides humana ac Chri-
'sti

'ſti meritum & ſacrificium : Quo-
'niam ſine Chriſti merito Deus ne-
'minem vult ſalvum futurum ; ſine
'fide autem in Chriſtum (propriâ)
'multos, videlicet (ut de aliis nihil
'dicam) Infantes. *Part.* 3. *p.* 133.
'(ſub initio) Peſſimè (inquit) à qui-
'buſdam concluditur —— Sine ip-
'ſorum S. Scripturæ librorum aut
'verborum notitiâ, veram *fidem in*
'*Chriſtum* eſſe impoſſibilem (quan-
'do & *circa ipſorum Ethnicorum ſa-*
'*lutem*, non parvis difficultatibus ur-
'gemur.) Ideóque quærens, (*Part.*
'3. *p.* 434.) an Ethnicorum ſpes
'dubia vitæ felicis futuræ (qua-
'lis Antonini, Senecæ, & Cicero-
'nis, *&c.* fuiſſe videtur) ad ve-
'ram ſanctitatem & ſalutem in ali-
'quibus valeat? Rem ſub dubio
'prorſus relinquit. *Part.* 2. *p.* 397.
'*n.* 69. Sicut ſub initiis regni Chri-
'ſti incarnati, quidam in ſtatu ſa-
'lutis fuere, qui quoad diſtinctam
'notitiam neſciverunt an eſſet Spi-
'ritus Sanctus (*ſcilicet Act.* 19. 2.
Quod tamen ipſe interpretatur de
'donis

'donis extraordinariis Spiritus San-
'cti, *p.* 438.) ita ſub initiis regni re-
'demptoris priorum editionum, in
'ſtatu ſalutis plurimi fuere, qui ne-
'ſciverunt an Chriſtus, incarnandus,
'moriturus eſſet & reſurrecturus.
'*Part.* 2. *p.* 394. *n.* 37. Deus igitur,
'qui peccatores per annos 4000, ſine
'exiſtentiâ humanæ naturæ Chriſti
'& ipſius ſacrificio & meritis, & in
'naturâ creatâ mediatione aut in-
'terceſſione, ſalvare potuit: Etiam
'ſine explicitâ & diſtinctâ Chriſti,
'quoad *Incarnationem*, mortem, re-
'ſurrectionem, *notitiâ* & *fide*, eos po-
'tuit ſalvare. *Part.* 2. *p.* 394. *n.*
'41. Qui dicit per annos 4000,
'homines fuiſſe ſalvatos, per *fidem*
'*in ſemen mulieris*, talem genera-
'lem, ſine fide in Chriſti mortem,
'reſurrectionem, aſcenſum, *&c.* At,
'nullos tamen ante diluvium aut
'ante incarnationem Chriſti Salva-
'tos fuiſſe per fidem in Deum mi-
'ſericordem, per gratiæ leges re-
'gentem & remunerantem, *ſine fide*
'*in Meſſiam incarnandum*: Is planè
'pro-

'probare tenetur quod affirmat, & 'hujus præ illius demonſtrare im-'poſſibilitatem.

Ad quæ ultima obiter reſpondeo; Veritates & myſteria de Chriſto revelabantur per gradus. Gradus fidei ſemper reſpondere debuit gradui revelationis: Sicut enim fides ſupponit revelationem eíque innititur; ita revelatio infert fidem ut debitam, pro gradu revelationis factæ. Alioquin fruſtrà & incaſsùm fuiſſet revelatio. Neque enim aliam ob cauſam (inquit Huetius) ſecreta ſua pandi voluit Deus hominibus, quàm ut cognoſcantur & credantur. Adeóque patefactiones Dei, & Fides hominum, pari paſſu ambulabant, ſibíque mutuò, neceſſariò correſpondebant. Juxta illud Gregorii (*Homil.* 16. *in Ezech.*) Secundùm incrementa temporum, crevit ſcientia ſanctorum. Sicut autem revelatio ordinatur tota ad fidem; ita fides neceſſariò reſpicere tenetur, ad menſuram revelationis. Sed hæc (ut dixi) obiter;

biter; pergo ad cætera Baxteri. *Part.* 2. *p.* 431. *n.* 23. 'Sicut jam 'major fidei gradus est necessarius, 'necessitate præcepti (ut debitus) '*quàm necessitate medii* (ut condi- 'tio salutis;) ita etiam de fide Ju- 'dæorum in Messiam venturum, ju- 'dicandum est. *Part.* 2. *p.* 445. *n.* '10. Sæculis omnibus Ecclesiæ fides 'fuit eadem, quâ credebant fideles 'in Deum omnipotentem, omnisci- 'um, optimum, ex quo, per quem '& ad quem sunt omnia, Creato- 'rem, rectorem, Patrem sanctissi- 'mum, justissimum, misericordem; 'at articuli de mediis, de mediatore '& mediatione non semper & ubi- 'que iidem fuerunt; sed juxta mu- 'tationes reales & personarum & 'temporum diversitates in nonnul- 'lis mutati fuerunt & diversi.

§. 2. Ex his ritè pensitatis, facilè videre est, in quam lancem maxime propendeat & præponderet sententia Baxteriana, scilicet in negativam, neque difficile est priora ejus dicta

dicta cum posterioribus conciliare; scilicet dicendo, quod tenebantur credere in semen futurum, non omnes & ubique, sed illi tantùm, quibus & ubi & quatenùs revelabatur (ut *Part.* 2. *p.* 418. *n.* 2. *p.* 431. *n.* 22.) vel denique obligatos fuisse ad hanc fidem, necessitate præcepti (ut ex officio debitam,) non verò necessitate medii (quasi conditio esset salutis) ut ipse distinguit. *Part.* 2. *p.* 431. *n.* 23. & *Part.* 3. *p.* 20. *n.* 17. (7.) Penitior igitur & constantior sententia D. Baxteri hæc mihi prorsus fuisse videtur, scilicet Fidem salutiferam ab initio respectum ad Christum futurum non quidem excluſisse, neque tamen necessariò includisse; sufficisse autem ad salutem, fidem immediatam in Deum creatorem, rectorem, benefactorem, & in nudam Dei misericordiam, sine intuitu ad Semen illud promissum, ad fontem benedictionis, sive ad Shilo, ad Prophetam illum aut filium Dei venturum & redempturum. Et

hanc

hanc reverâ fuisse mentem D. Baxteri, eò magis inducor ut credam, quòd virum perspicacem latere non poterat, Hypothesin suam, de fœdere gratiæ omnibus universim etiam Ethnicis noto vel noscibili, non potuisse aliter defendi. Cum enim (*Par.* 3. *p.* 19.) duobus modis, hoc fœdus mundo innotuisse dicat, primò per Traditionem doctrinæ primævæ, Cœlestis & supernaturalis, Adamo & Noacho in manus datæ: Secundò per ipsam naturam & opera Providentiæ; facilè perspexit Traditionem illam apud Gentiles & Ethnicos, penitùs defeciſſe; ideóque non dicit (neque verè dicere potuit) utroque modo hoc omnibus innotuisse, sed quibusdam (ut opinor) per traditionem, cæteris verò omnibus, non nisi per naturam & opera Providentiæ. Cum verò ex contemplatione naturæ soliùs vel Providentiæ, ne unus quidem fidei (ut sic dicam) postlapsariæ articulus emergat vel innotescat, nihil de Christo, nihil de semine

mine benedicto, nihil de redemptore per λύτρον, nihil de mediatore, aut ſacrificio illo unicè propitiatorio hinc eluceſcat; neceſsùm habuit methodiſta, ut fidem talem nobis proponeret & propinaret, quæ ſine & abſque harum rerum notitiâ ad ſalutem aſſùrgere poſſit & ſufficere: Quæ tamen ſententia (ut quod ſentio eloquar) mihi videtur Theologo parùm digna: Multiplex enim ſtat ratio è contrà & ſecretam gannit in aurem.

§. 3. Diſputo enim primò, ab epochâ protevangelii, ſtatim poſt lapſum dati & promulgati, ſcilicet in primâ illâ promiſſione (*Gen.* 3. 15.) quæ tota Chriſtum ſpirat, procuratorem ſalutis & miſericordiæ, ſemen mulieris venturum, victurum & ſuper ſerpentem (ad ingens humanæ miſeriæ & ruinæ remedium) triumphaturum; niſi enim intuitus in illud Semen (ut olim in ſignum Serpentis æneum) omnibus fuiſſet neceſſàrius, Cur ab initio revelatum eſt Adamo, radici & ſe-

minario totius generis humani, totiq; adeo Mundo tum existenti? Quid est quod Christus (& in eo vita æterna) promissus sit ante tempora sæcularia (*Tit.* 1. 2. id est, ante decursum sæculorum) si non esset Christus ipse, omnibus sæculis, in ordine ad veniam & vitam, creditu necessarius? Si quidem (ut dixi, *p.* 88.) revelatio & promissio Tota ordinatur ad fidem, adeoq; fides hominum necessariò assurgere debet & respondere patefactioni & revelationi factæ ex parte Dei: Hinc dicit Augustinus, (*Retract. L.* 1. *c.* 13.) Res ipsa quæ nunc Christiana Religio nuncupatur, non defuit ab initio generis humani, quóusq; ipse Christus veniret in carne. Promissum hoc & protevangelium Paradisiacum, de Messiâ interpretantur Christiani penè omnes* & Semen fuit partus Mariæ. (*Item, L.* 5. *c.* 21. *p.* 468.) Cyprianus *adversus Judæos, L.* 2. *c.* 1. §. 9. *p.* 403. Hoc Semen prædixerat Deus de muliere procedere, quod calcaret caput Diaboli, *Gen.* 3. 15. Augustinus multus in hoc est. Leo. M. *ser. de nativitate.* Prædestinata renovandis mortalibus suæ pietatis remedia, *inter* ipsa Mundi primordia *præsignavit* (Deus) denuncians Serpenti, futurum Semen mulieris, quod noxii capitis elationem, suâ virtute contereret, Christum scilicet in carne venturum, Deum hominémque signans.

* *Irenæus* (*L.* 3 *c.* 38. *p.* 309.) Christum vocat Semen *prædestinatum* calcare caput Serpentis, quod

an-

antiquiores Judæi *. Neque dubitandum eſt quin is fuerat de eo ſenſus Protoplaſtarum; uti patet ex ſcopo & fine promiſſi & promittentis. Quorſum enim ſpectabant illa omnia de Semine naſcituro, De plenâ per eum victoriâ, in calcando & conterendo capite Serpentis, niſi in præſens & ingens ſolatium primorum parentum? Scilicet ut erigerentur miſeri è reatibus peccati, è contractâ ruinâ, in ſpem veniæ & vitæ, ſalutis & liberationis, ex intuitu hujus promiſſi, expectandæ. Cum enim nihil ante oculos haberent, niſi pavores, terrores & deſperationem, nihil niſi mulctam & mortem æternam, ſibi & poſteris imminentem; quid aliud dejectos & proſtratos relevare aut ſuſtentare poterat, niſi ſecuritas & fides à Deo data, quod per inſtrumentum ſingulare, à ſe mittendum, diſſolveret opera & vincula Diaboli, Satanæ regnum

* Conſulatur Capnio, *L.* 1. *Cabalæ*, citatus à Quiſtorpio in *Gen.* 3. Item Raimundus cum Voiſſini notis.

Vide D. Milbourn (ſupra laudatum.) *p.* 221. *p.* 606, 607, 608.

num & tyrannidem destrueret, jugum diffringeret, potestates mortis & inferni dirueret & dispoliaret, hominésque lapsos in vitam & libertatem assereret. Hoc unicum erat quod in solatium lapsis poterat sufficere; Hoc igitur intentum est à Deo in his verbis, atque ita intellectum à primis parentibus. Atqui (inquit D. Baxterus, *Part.* 3. *p.*21.) 'Qui nihil aliud credit, quam se-'men mulieris, caput Serpentis con-'triturum —— is minime novit fu-'turum esse Deum & hominem, sa-'crificium per mortem pro peccatis, 'resurrecturum, *&c.* Resp. Si moriturum, certè resurrecturum, alioqui minime devicturum; si autem sanguinem fundendo (ut innuit Contritio ejus calcis,) ergo moriendo; si autem Victor & triumphator, ergo aut Deus aut Dei Filius æque ac hominis. Quod si rem & materiam promisti excutias, non pauca ad personam & gesta Messiæ spectantia, se conspicienda exhibent; Primò, Humanitas ejus satis apertè ex-

exprimitur ſub nomine Seminis & Calcanei. En igitur Incarnationem! Secundò, Conflictus inter utrumque Semen ſatis liquidò aſſeritur, iſque non ſine ſanguine Vincentis. Conteretur tibi calcaneum. En Paſſionem Meſſiæ! Tertiò, Seminis promiſſi victoria, Serpentis proſtratio, uſq; ad Contritionem Capitis noxii. Ubi etiam Quartò, & ultimò Divinitas Meſſiæ ſatis inſinuatur, ſcilicet quòd talis & tantus eſſet futurus, qui plenam victoriam & triumphum de Satanâ, de peccato, morte & inferno reportaret, hominémque in integrum reſtitueret. Quis enim ad hæc idoneus, niſi potentiſſimus Deus, aut Dei Filius? Juxta illud Ambroſii (*de Voc. Gent. c.* 3.) Quod in naturâ periit, non reſtituitur niſi ab Authore naturæ. Neceſſe igitur erat, convenire in unum, Deum & hominem; nam (uti Proclus, *in Conc. Epheſ. p.* 5.) Ἄνθρωπον φιλὸς σῶσαι οὐκ ἴσχυε, Θεὸς γυμνὸς παθεῖν οὐκ ἐδυνάτο. Eadémq; (eo antiquior) notat Irenæus (*L.*3. *c.*20.)

c. 20.) Ἥνωσεν, οὖν καθὼς προέφαμεν, τὸν ἄνθρωπον τῷ Θεῷ· εἰ γὰρ μὴ ἄνθρωπος ἐνίκησεν τὸν ἀντίπαλον τοῦ ἀνθρώπου, οὐκ ἂν δικαίως ἐνικήθη ὁ ἐχθρός. Γάλιν δὲ, εἰ μὴ ὁ Θεὸς ἐδωρήσατο τὸν σωτηρίαν, οὐκ ἂν βεβαίως ἔσχομεν αὐτήν· καὶ εἰ μὴ συνηνώθη ὁ ἄνθρωπος τῷ Θεῷ, οὐκ ἂν ἐδυνήθη μεταχεῖν τῆς ἀφθαρσίας ἔδει γὰρ, &c.

Atque hæc de personâ promissâ: Quod ad sacrificium Messiæ per mortem pro peccatis (fatente D. Baxtero, *Part.* 2. *p.* 400. *&* *p.* 402. *n.* 24.) scivit illud Abel & credidit; credidit (inquit) in Semen sacrificandum. Unde autem nisi edoctus ab Adam? Anne Filius fortè scivit, Pater autem nescivit? Quæret fortasse D. Baxterus, unde hoc sciverit sive Adam sive Abel? Resp. Si non ex verbis promissi, saltem ex sacrificiis primo fœderi divinitùs (ut mihi videtur) adjunctis. *Cloppenburg. Syntag. p.* 362. Hoc pacto instituta est novi fœderis gratiæ οἰκονομία vetus, verbi supernaturaliter facti traditione Propheticâ,

ticâ, & annexis ſacramentis ſacrificialibus. *Idem, p.* 680. Antiquitas ſacrificiorum coæva eſt promiſſo — Veſtigia autem primæ oblationis, in tunicis pelliceis, *Gen.* 3. 21. Hinc igitur innotuit mors & ſacrificium Meſſiæ. Quid enim aliud erat vetuſtiſſimus ille ſacrificandi ritus, quàm ceremonia fidei *. Quid oblatio ſacrificiorum, niſi quædam proteſtationes fidei in Meſſiam venturum ? (*Aquin.* 1. 2æ. *qu.* 103. *p.* 185.) Quid ipſa ſacrificia & ſacra illa σφάγια (præſertim hilaſtica & expiatoria) quàm perpetua memorialia & repræſentamina Sanguinis illius verè expiatorii, tandem effundendi in conflictu Seminis cum Serpente ? Quid enim aliud ſibi velle potuit illa contritio aut vulneratio calcis, niſi amiſſio ſive emiſſio ſanguinis fundendi; ſine quo nulla remiſſio, nulla redemptio, oportebat igitur ſignificari & adumbrari. Sacrificia, etiam patriarchalia, ab initio Typos fuiſſe Chriſti ſacrificandi & mactandi, ſatis innuit Scri-

* Clapham p. 6, 8.

ptura (*Apocal.* 13. 8.) Confirmat etiam ratio, utpote quorum omnium in locum & vicem Christum ut antitypum venisse & successisse, testatur Apostolus, *Hebr.* 10. 8, 9. cui succinit S. Augustinus (*L.* 1. *contra adversarium legis & Prophet. c.* 18.) Jam (inquit) sacrificia talia non offert Dei populus Deo, postea quàm venit unicum sacrificium, cujus umbræ fuerunt *illa omnia*, non hoc improbantia, sed hoc significantia. Sacrificiis ante-mosaicis, etiam Patriarcharum, rationem Typi diserte ascribunt veteres. *Aug. c. Julian. Pelag. L.* 5. *c.* 9. *p.* 234. Nec ideo tamen credendum est etiam ante datam circumcisionem, famulos Dei, quandoquidem iis *inerat fides in* carne venturi, nullo sacramento eos opitulatos esse parvulis suis — Nam etiam *sacrificia eorum* legimus, quibus utique Sanguis ille *figurabatur*, qui solus tollit peccata Mundi. Idem, *Aug. c. adversar. legis & prophet. L.* 1. *c.* 18. *p.* 410. Singulari & solo sacrificio pro nobis Christi san-

ſanguis effuſus eſt. Ideo *primis temporibus* ad hoc ſacrificium talibus ſignificationibus prophetandum, immaculatorum animalium ſacrificia Deus ſibi juſſit offerri. Idem, *Aug. c. Fauſtum Manich. L. 22. c. 17.* Antiqua enim res eſt prænunciativa immolatio ſanguinis, futuram mediatoris paſſionem *ab initio* generis humani teſtificans. Hunc enim primus Abel obtuliſſe in Sacris Literis legimus. Eadem habet Cyprianus (ſive alius quicunque Author Libri) *de Circumciſ.* §. 7. *p.* 490. Hoc antiquum redemptionis noſtræ conſilium *Sanctis Patribus revelavit* Deus, voluitque ut paulatim aſſueſcerent homines paſſioni, & morti neceſſariæ, voluntariæ mortis opponerent libamentum, & pœnam in medelam, & ſupplicium in remedium commutarent; Hujus *oblationis doctrinam Sacrificia* continebant *antiqua*, & incenſiones & mortes, hujus conſummationis gratiam *præſignabant.*

Ve-

Vetustissima igitur illa Sacrificia Typos fuisse Christi in plenitudine temporis immolandi, satis, ut opinor, constat. Si autem tum typi, erant certè ut tales taliter intellecti. Sive enim Patriarchæ ipsi, pio studio & voluntariâ devotione ea primitùs introduxerant (uti aliquibus placet) certe non poterant finem & usum typicum, in quem ipsi instituebant, ignorare: Sive à Deo ipso ab origine ordinata fuerant in typos, (uti mihi, cum Augustino & Cypriano, extra dubium est,) hic usus, hæc φύσις ad Christum, non potuit eos latere. Typus enim (ut rectè notat Witichius *in Rom. c. 5. p. 226, 227.*) respectum habet ad cognoscentem, cui aliquid per typum significatur —— Si res aliqua vel substantia principalis hanc etiam relationem accipiat, ut alterius sit imago, debet accidere institutio artificis, idque eum vel indicare oportet, vel rationes ad id cogitandum suppeditare. Cum igitur typi hi Sacrificiales, fuerint νοητὰ θεωρήματα,

ῥήματα, καὶ χειροὶ εἰκονικοὶ, (ut loquitur *Euſeb.* 1. 3, & 4.) i. e. Figuræ inſtructoriæ; & cùm primariò & immediatè *illorum* uſibus & directioni deſignatæ fuerunt & deſtinatæ, quibus primitùs ſunt datæ; haud dubitandum eſt, quin Dei in his ſenſum & mentem ab initio perceperint, iiſque fidem ſuam ab origine conformârint.

Arguo ſecundò, à debito gratitudinis indiſpenſabili. Quid enim eſt fides niſi gratus animi ſenſus erga redemptorem propter ingens illud & inæſtimabile beneficium? Hic ſenſus, hæc gratitudo, niſi ſit abſolute neceſſarius, ne ipſe quidem Chriſtus videbitur neceſſarius. Nam ut recte Arminius (*Orat. de objecto Theologiæ, p.* 33.) Quis credet beneficium ab illo præſtitum eſſe, cui gratias agere non ſit neceſſé?

Immò quis non palàm & pleno ore profitebitur, ſalutis Authorem non eſſe, quem ſalutis Authorem agnoſcere non ſit neceſſé? Adde etiam

tiam Davenantium (*Dissert. de morte Christi, p.* 63.) Esset Christo contumeliosum, si in societatem & participationem actualem hujus gratiæ, quilibet admitteretur, nondum credens in Authorem salutis & redemptorem nostrum *Jesum Christum.*

Argumentum Tertium ducitur ab absurdo. Hinc enim sequitur primò, Lapsis & reatu obstrictis peccatoribus, immediatum ad Deum accessum sperare licuisse & habuisse, sine omni quem noverint aut speraverint, mediatore vel favoris procuratore. Sequitur secundò, Facilius salvari Ethnicos extra fidem Christi quàm nos intra Nam (uti Curcellæus, *p.* 452. *n.* 10.) Fides in Deum creatorem longè simplicior est & pauciora continet capita. (Idemque *p.* 928. *n.* 25.) sub Evangelio, ubi perfectior morum sanctitas injungitur, major etiam est necessitas fidei, sed in iis duntaxat, quibus Christus revelatur: Nam quod ad alios attinet— quemadmodum parùm iis datum est, ita

parum

parum ab iis repoſcitur. Hæc verò an concederet D. Baxterus, nondum ſcio. Sequitur tertiò, Chriſtum (ſecundùm D. Baxterum) Authorem fuiſſe ſalutis, omnibus ſalvandis, non autem objectum fidei ſalutiferæ; adeóque vitam & ſalutem à Chriſto quam plurimis adultis contingere, ignorari autem Authorem & procuratorem tam ingentis boni. Argumentum hoc inſinuat Aquinas (2. 2æ. *q.* 2. *a.* 7. *c.*) Illud (inquit) propriè & per ſe pertinet ad objectum fidei, per quod homo beatitudinem conſequitur, via autem hominibus perveniendi ad beatitudinem, eſt myſterium incarnationis & paſſionis Chriſti: Dicitur enim, *Act.* 4. 12. Non eſt nomen aliud datum, *&c.* & ideo myſterium incarnationis Chriſti, oportuit omni tempore eſſe creditum apud omnes. Unde & ſic arguo, Is per quem, per cujus meritum ſalutem aſſequuntur omnes qui aſſequuntur, neceſſariò ingreditur objectum fidei ſalutiferæ (nam fides

ſal-

salvifica necessariò fertur in objectum salvificum.) At (secundùm D. B.) cuicunque salus contigit æterna, contingit omnino per Semen illud mulieris, per Christum mediatorem & redemptorem, per incarnationem & meritum Christi, ergò fides omnium, si modo salvifica, necessariò respicit incarnationem, & meritum Christi vel olim exhibendi vel nunc exhibiti. Argumentum quartum peti potest à non-scripto. Fingere promissiones aut pacta, extra verbum Dei, est summæ temeritatis (inquit Davenantius, *p.* 161.) Definita nobis est regula in divinis, Μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται, φρονεῖν. Hypothesis Baxteriana, de tali fide & per hanc fidem salute, cassa est fundamento, nullo verbo Dei suffulcitur, ex armario divino nullo exemplo offenditur aut confirmatur. Hìc vero pauca quædam loca, quasdam etiam instantias depromit methodista, sed quæ tántæ moli aut structuræ vel erigendæ vel sustentandæ, neutiquam sufficiunt. Allegat

gat primò, illud Petri ad Cornelium, *Act.* 10. 35. Non eſt perſonarum acceptor Deus; ſed in omni gente, qui timet eum & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi. Acceptus quidem, An vero ſine fide in Chriſtum? Cur ergo ad illum miſſus eſt Apoſtolus? Rectè *S. Aug. de prædeſtin. L.* 1. *c.* 2. *p.* 268. Si poſſet ſine fide Chriſti ſalvus eſſe, non ad eum ædificandum mitteretur architectus. Annon vero de his ipſis Gentilibus (i. e. Cornelio & comitibus) diſertè teſtatur Apoſtolus (*Act.* 15. 9.) Quod Deus fide purificabat corda eorum? Quâ fide, niſi Chriſti? Per quam admittebantur ad Baptiſmum & Eccleſiam, ſine jugo Judaico. Neque aliud ſibi volunt dicta Apoſtoli (*Act.* 10. 35.) quàm, quod fides Chriſti non limitaretur ad circumciſos, ſive, quod nemo gentium, ut immundus excluderetur à Chriſto, niſi defectu iſtius Fidei, unde omnis timor Dei & operum vera juſtitia oritur & naſcitur; ſi modo credendum S. Hie-

Hieronymo, qui (in *L.* 2. *Comment. in Galat. p.* 82.) sic scribit; Qui in Christo non credunt & sunt probis moribus, aliud quid magis habent, quàm opera virtutum.

Quod vero Petrus dicit, Non est personarum acceptor Deus, *&c.* Idem prorsus est quod alibi Paulus, in locis huic parallelis, *Rom.* 3. 22. Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes & super omnes; non enim est distinctio. Item ad Galatas, *c.* 3. 28. Non est Judæus neque Græcus, non est servus neque liber, non est masculus & fœmina: Omnes enim vos unum estis in Christo, h. e. in fide Christi.

Objicit secundò, Illud Pauli ad *Rom.* 2. 12, 16. At ibi nulla mentio sive fidei sive salutis. Pereuntium ibi meminit Apostolus, sine lege pereuntium, nusquam vero, sine lege salvatorum.

Objicitur tertiò, Illud Apostoli ad Hebræos, *c.* 11. 6. Sine fide impossibile est placere Deo: Qui enim accedit ad Deum, credere oportet eum

eum esse, & esse remuneratorem se inquirentium. Ergo hæc & hujusmodi fides sufficit ad salutem. Resp. Si urgeatur nudum τὸ ῥητὸν dicti Apostolici, sine ulteriori explicatione, fides hæc non transcendet fidem historicam vel dogmaticam, qualis reperitur in ipsis dæmonibus; Hi enim credunt esse Deum, & esse unum (*Jac.* 2. 19.) & in genere, esse remuneratorem (*Job* 1. 9.) Præsupponuntur quidem hæc ad fidem salutiferam & Deo gratam, sed sola non sufficiunt ad salutem. Dices, Cur igitur hæc memorantur? Respondeat Tirinus (aliique, quos vide in Synopsi Criticorum.) Hæc duo præ aliis enumerat Apostolus, eò quod sint prima & faciliora fidei objecta, maximéque necessaria ad spem excitandam, quâ adversa fortiter sustineamus, quod hîc maxime inculcat Apostolus. Hic enim scopus est Apostoli (à versu 38, capitis decimi, ad finem capitis undecimi) scilicet ostendere, Ὅτι μέγιστα διὰ πίστεως, ϑ διὰ τῆς λογισμῶν κατορθῶται

(inquit *Theophyl. in Vers.* 3.) ἡ ὅτι τοιοῦτον ἦν ἡ πίστις, ὅτι καὶ ἀνύει καὶ πάσχει μεγάλα. (Idem in Versum 37.) Notandum etiam, verborum pondus & emphasin, maximè in eo latere, scilicet in diligenti & *rectâ Inquisitione* * τοῦ ἐκζητεῖν, nam ἐκζητεῖν amplius quid sonat, quàm simplex ζητεῖν. (Vide *Synops. Critic.*) Adeóque redditur à Bezâ, Qui Deum quærunt in Christo & in verbo suo: A Gerardo, Estio & Gomaro, Qui eum verbo † agnitum colunt: A nostrate Lyfordo, Qui eum quærunt, non legaliter in viâ operum, sed Evangelicè, in viâ quam ipse revelat, i. e. per fidem mediatoris. Nam quærere Deum, est eas inire vias, per quas Dei favor obtineri possit, ut videre est, *Deut.* 4. 29. *Jer.* 29. 13. *Zech.* 8. 21, 22. *Amos* 5. 4. *Psal.* 10. 4. 40. 17. (inquit Grotius.) Exponendus igitur est hic locus, & explicandus

* Truman, *p.* 118. Hooker, *p.* 102.

† S. Aug. locum hunc Apostoli exponit de Fide in verbo Dei. *Aug. de verâ cred. cap.* 13. Nemo (inquit) in tantâ opinionum varietate tutò potest distinguere, nisi Deum esse credat, & ejus verbum primùm amplectatur: Itaque ad religionem accedentibus, est à Fide incipiendum, [à fide in verbo Dei.] *P.* 318.

dus juxta analogiam fidei, juxta materiam & contextum ſubjectum & contiguum. Ejuſmodi ſine dubio fides hîc intelligenda eſt, qualis erat in Enocho (verſu præcedenti) qui *inſtructus* & *edoctus* ab Adamo (uti nomen ejus חנוך innuit, * credidit vitam æternam, credidit Semen futurum, credidit adventum Domini futurum, *Judæ verſ.* 14. Qualis etiam in Abele *(Verſu* 4.) cujus fides erat in Deum miſericordem, & *in Semen* ſanctum ſacrificandum pro peccatis (uti fatetur ipſe D. Baxterus, *Part.* 2. *p.* 400, 402.) Qualis etiam innuitur verſu primo, ubi deſcribitur fides, quod ſit ſubſtantia rerum ſperandarum. Inter quæ ſperanda, Duo olim maxime erant promiſſa & expectata, ſcilicet vita futura, *(Hebr.* 11. 14, 16.) Et Chriſtus futurus *(Verſu* 40.) Promiſſus quidem, ſed non tum exhibitus.

* Vide Schinlerum, *p.* 613.

Heb. 11. 1.

Atque hoc objectum illorum Fide incluſum fuiſſe neceſſe eſt ipſum Baxterum concedere, ſi modò ſibi

constare velit. Is enim, in præfatione ad methodum consolationis, sic docet. Malè (inquit) asserunt nonnulli, fidem descriptam, *Hebr.* 11. non esse actum fidei justificantis, eò quod nulla ibi mentio crucis Christi *. Atqui errant à vero: Sicut enim fides in Christi sanguinem, Finem complectitur, scilicet expectationem veniæ & gloriæ per Christi sanguinem partæ & promeritæ: Ita & fides de gloriâ illâ futurâ, hoc secum involvit, scilicet quod credamus & expectemus hanc gloriam, ut fructum lytri & redemptionis per Christum præstitæ.

* Certè fit mentio ὀνειδισμοῦ τοῦ χριστοῦ, Vers. 26.

Sed & Instantias aliquas & exempla quorundam profert D. B. quos nudâ fide in misericordiam Dei creatoris —— sine intuitu in Christum, Deo acceptos fuisse pertendit. Instat in Cornelio, de quo jam diximus & plura postea dicemus. Instat secundò, in Jobo. At vero fidem Jobi testantur ipsius verba [d], *c.* 19. 25,

[d] Prosper (L. contra Collatorem, *p.* 161.) Illud Jobi (inquit,) De incarnatione Domini nostri Jesu Christi ac resurrectione ejus, qui est primitiæ dormientium, & de spe redemptionis quæ in ipso reposita est, rectè intelligitur, prophetatum.

26.

26. Scio, ſive certus ſum, quod redemptor meus vivit & poſtremus ſive noviſſimus ſuper pulverem ſtabit; & etiamſi vermes hoc corpus deſtruant, tamen in carne meâ videbo Deum, *&c.* Quæ dicta quaſi ſtylo ferreo incidi optat vir Sanctus (*Verſ.* 23, 24.) ut perenne extarent monumentum piæ ſuæ fidei, De redemptore, De reſurrectione carnis, De viſione Dei. Redemptorem ſive Goel, de Meſſiâ exponunt ipſi Rabbini; ſic Aben-Ezra, *Iſai.* 59. 20. (Vide *Huetium L.* 1. *p.* 503.) Sic Neve Shalom; Homo *noviſſimus* eſt Meſſias. (Vid. Pugio fidei, *P.* 142. *p.* 151.) Hieronymus etiam ad Pammach. (*Ep.* 51.) Necdum erat mortuus Dominus, & Athleta Eccleſiæ redemptorem ſuum videbat ab inferis reſurgentem. Idem ad Pammach. *T.* 2. *p.* 63. Job tormentorum victor —— ſperat reſurrectionem, immo novit & vidit quod vivit Chriſtus redemptor ejus & in noviſſimo die de terrâ reſurrecturus ſit —— Rurſus & in car-

ne meâ videbo (inquit) Deum; ſcilicet quando omnis caro videbit Salutare Dei & Jeſum Chriſtum, tunc ego videbo redemptorem & ſalvatorem eum, Deum meum. —— Quid hâc Prophetiâ (inquit) apertius?

Accedat etiam Auguſtinus, *De Civit. Dei*, *L.* 18. *cap.* 40.— Divinitùs proviſum fuiſſe non dubito, ut ex hoc uno (Jobo ſcilicet) ſciremus etiam alios eſſe potuiſſe, qui ſecundùm Deum vixerunt, eique placuerunt, pertinentes ad Spiritualem Jeruſalem (ſtatim vero ſubjungit, id quod ignoranter aut fraudulenter celat Curcellæus) quod, nemini conceſſum credendum eſt, niſi cui *divinitùs revelatus eſt* unus mediator Dei & hominum, Homo Jeſus Chriſtus; qui venturus in carne, ſic antiquis Patribus prænunciabatur, quemadmodum nobis veniſſe nunciatus eſt, ut una eademque fides per ipſum, omnes in Dei civitatem, in domum Dei, in templum Dei prædeſtinatos, perducat ad Deum.

Inſtat tertiò, in Apoſtolis; qui quam-

quamvis in familiâ Chriſti enutriti, Chriſtum tamen moriturum nondum credebant. Eſto quidem, quod mortem Chriſti nondum crediderant (quamvis non tam de morte Chriſti dubitaſſe videntur *, quam de genere vel ſpecie mortis, violentæ ſcilicet & per ignominioſam crucifixionem;) at vero palam eſt eos credidiſſe non ſolum in Deum creatorem, ſed in Chriſtum redemptorem, Deiq; filium, in agnum Dei, qui tolleret peccata Mundi (prout à Baptiſtâ edocti erant, *Joan.* 1. 29, 34, 35, 36, 37.) ideoq; non hinc ſequitur fidem in Deo ſuffeciſſe ſine fide in Chriſto. Illud ſolum hinc forte inferri poteſt, fidem in Chriſto, licet non omni ex parte integram & completam (in illo intervallo legis & Evangelii) valuiſſe tamen apud Deum. Credebant Apoſtoli, ſed pedetentim & per gradus, & quoad hoc, tardi magis ad (plenè) credendum, quam prorſus infideles. Interim, mirum videtur D. Baxterum, fidem majorem & expreſſiorem, in Chriſtum

* Vide Grotii Comment. in Marc. c. 9. 12.

Luc. 24. 25.

ut in Semen promissum & sacrificandum, Abeli concedere (*p.* 402. *n.* 24.) quam ipsis Christi Apostolis; præsertim cum, secundùm Baxterum, Fides in Semen promissum, ut revelatum & sacrificandum, statuatur ab eo, Conditio universaliter requisita sub primâ fœderis gratiæ editione. (*Part.* 2. *p.* 300. *item p.* 394. *n.* 40.) Et tamen (ita incertè fluctuat) *Part.* 3. *p.* 21. *n.* 3. dicit, Certum esse, nullum fidei gradum altiorem ab Adamo ad Christum usque, ad salutem necessarium fuisse, quàm fidei Apostolorum.

§. 4. Operæ vero pretium hic erit, paucis ostendere, quàm ex diametro contrarietur hæc fides (in solum Deum, sine fide in Christum) sensui & sententiis Patrum.

Ignatii Epist. ad Philadelph. p. 180, 181. Πάντες ἓν οἱ ἅγιοι, (i. e. Μωσῆς καὶ προφῆται) ὃν χειρῷ ἐσώθησαν, ἐλπίσαντες εἰς αὐτὸν καὶ αὐτὸν ἀναμείναντες. *Irenæus L.* 4. *c.* 5. *p.* 235. (cita-

(citatur ab Auguſtino, *To.* 7. *p.* 202.) Lex non prohibebat eos credere in filium Dei, ſed *adhortabatur*, dicens, *non aliter* ſervari homines ab antiquâ ſerpentis plagâ, niſi credant in eum, qui ſecundùm ſimilitudinem carnis peccati, in ligno martyrii exaltatus à terrâ, omnia ad ſe trahit, & mortuos vivificat. *Greg. Nazianz. Orat.* 22. Μυστικὸς τις καὶ ἀπόῤῥητος ὁ λόγος, σφόδρα παντὸς ἐμοὶ καὶ πᾶσι τοῖς φιλοθέοις, μηδένα τῶν πρὸ τῆς χάριτος πίστεως τελειωθέντων, δίχα τῆς εἰς χριστὸν πίστεως, τοῦτο τυγχάνειν. i. e. Myſticum & arcanum perhibetur dictum, mihi & omnibus Dei amantibus fide dignum, ſcilicet neminem ex iis qui ante Chriſti adventum deceſſêre, ſine fide in Chriſtum hoc conſecutos. *Hieronym. in Gal.* 2. 16. *p.* 73. h. e. Non mihi gratis mortuus eſt Chriſtus, in quo fruſtrà credidi, ſi putarem abſque fide ejus in veteri lege ſalvari—— Sanctos enim qui antiquitùs fuere, ex fide Chriſti juſtificatos, ſiquidem Abraham vidit diem Chriſti, *&c.*

Au-

Augustinum modo dedimus, (*p.* 107.) Idem *Augustinus ad Bonifac. L.* 1. *c.* 21. *p.* 189. Quantælibet virtutis fuisse antiquos prædices justos, non eos salvos fecit nisi fides Mediatoris. *Idem de nat. & grat.* Ea quippe fides Justos sanavit antiquos, quæ sanat & nos, id est, Mediatoris Dei & hominum, Jesu Christi. Idem, *De Civit. Dei, L.* 10. *c.* 25. Omnes sanctos etiam sub lege, sub prioribus sæculis, in Sacramento & fide Christi justificatos fuisse. Augustinus Optato (*Ep.* 157. *p.* 457.) Cujus hominis ejusdemque Dei salutiferi fide, etiam illi justi salvi facti sunt, qui priusquam veniret in carne, crediderunt in carne venturum. Eadem namque fides est & nostra & illorum; quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos factum credimus: Unde dicit Apostolus, (2 *Cor.* 4.) Habentes autem eundem spiritum fidei. Augustinus ad Deogratias, (*Ep.* 49. *p.* 126, 127.) Ab *exordio* humani generis, quicunque in eum crediderunt, eum-

eumque *utcunque* intellexerunt & ſecundùm ejus præcepta piè & juſtè vixerunt, quando libet, aut ubi libet fuerint, per eum proculdubio ſalvi facti ſunt; ſicut enim nos in eum credimus & apud Patrem ſuum manentem, & qui in carne ſuâ jam venerit; ſic credebant in eum antiqui, & apud Patrem manentem & in carne venturum. Nec quia pro temporum varietate nunc factum annunciatur, quod tunc futurum prænunciabatur; ideo fides ipſa variata vel ſalus ipſa diverſa eſt. *Aug. Confeſſionum, L.* 10. *c.* 43. Hic (i.e. Chriſtus Mediator) demonſtratus eſt antiquis ſanctis, ut ita ipſi per fidem futuræ paſſionis, ſicut nos per fidem præteritæ, ſalvi fierent. *Aug. contra Julianum Pelag. L.* 4. *c.* 3. *p.* 222. Ac per hoc gratis mortuus eſt Chriſtus, ſi homines ſine fide Chriſti ad fidem veram, ad virtutem veram, ad juſtitiam veram, ad ſapientiam veram, *quâcunque* aliâ re, quâcunque ratione, perveniant. Ibidem, *pag.* 223. Ubi quidem dogma

ma vestrum— evidentius expressisti, introducens hominum genus, qui placere Deo possit *sine fide Christi*, lege naturæ. Hoc est, unde vos maximè Christiana detestatur Ecclesia. *Prosper ad Capitula* 8. *p.* 130. Nec aliâ gratiâ, nec aliâ fide, quenquam hominum sive ante legem, sive legis tempore, justificatum esse credendum est, quàm hâc eâdem, per quam Dominus noster Jesus Christus, secundùm consilium voluntatis suæ, in fine sæculorum venit quærere & salvare quod perierat. Maxentius in confessione fidei; quapropter ab Adam, nullum hucusque per naturæ vigorem credimus esse salvatum, nisi dono gratiæ Spiritûs Sancti, *in fide* nominis Jesu; quia non est aliud nomen sub Cœlis datum hominibus, *&c.* *Leo M. Ser.* 13. *de Pass. p.* 124. Sanguis unius justi quem nobis Pater donavit, quia eum pro reconciliatione credimus fusum, hoc contulit Patribus, qui similiter credidêre fundendum, *nec usquam* à præcedentibus justis, nisi

in

in Domino noſtro Jeſu Chriſto *ſalvatio ſperata eſt.*

Plura poteram, etiam ex ipſo Juſtino M. & Clemente Alex. (quos ſuæ ſententiæ favere autumat D. B.) in oppoſitum proferre; ſed quia de his alibi fuſius egi, ea vero quæ jam dicta ſunt & prolata, ad guſtum & ſpecimen ſufficiunt, pluribus congerendis impræſentiarum ſuperſedeo.

§. 5. Priusquam verò ad caput quartum progredior, Auctarii loco non erit prorſus ἀπροσδιόνυσον, ſi quædam diſcutio, edita à D. Baxtero, in opere anglicano, de apparitionibus & ſagis. Eo in libro, *p.* 230, 236. D. Baxterus (neſcio an ut deroget antiquorum fidei de Filio Dei, an ut commercium Λόγου cum Patribus & Patriarchis obſcuret & abſcondat, ſive alio quocunque motivo inductus) negat certè, diſertè negat Filium Dei ſub vet. Teſtamento, ſub ſpecie hominis vel ſub nomine angeli unquam Patri-

triarchis apparuisse, contra unanimem Patrum consensum, Justini scilicet Mart. Irenæi, Clementis Alex. Tertulliani, Hilarii, Hieronymi, Augustini, *&c.* non solum eorum authoritatem (canitie suâ venerandam) subterfugiens, sed etiam rationes quas afferunt momentosas, prorsus dissimulans; suásque tantum objectiones (unam aut alteram) in contrarium profert. Objicit primò, Si Filius Dei tunc apparuit in carne, corpus habuit ante incarnationem, immò multa corpora, toties quoties apparuit. Respondeo, Naturale corpus Christi unum est & unicum. Hoc verò non impedit quò minus ὁ Λόγος corpore quasi ascititio, pro tempore, uteretur, in quo & per quod, commercia & colloquia haberet cum Patribus. Neque inde sequitur fuisse illum tum incarnatum: Species enim illa in quâ apparuit, non tam corpus ejus erat quàm instrumentum, signum quidem & symbolum divinæ præsentiæ; non ha-

habitaculum Deitatis ſed velamentum & amiculum temporarium. Nulla enim illic interceſſit unio hypoſtatica; ſicut neque in Angelis humanâ in ſpecie (fatente D. B.) apparentibus, nulla erat vitalis unio inter Angelum & ſpeciem illam humanam, ſed mera tantum ἐνέργεια & in-aſſiſtentia Moventis in moto, vel repræſentati in organo repræſentante. Non igitur magis hinc inferri poteſt aut debet Chriſti tunc temporis Incarnatio, quam Incarnatio Angelorum. Fruſtrà igitur objicit ſecundò, Quod Scripturæ appropriet Chriſti incarnationem Filiique adventum in carne, ad dies noviſſimos & plenitudinem tempo- *Gal.* 4. 4.
ris. Primò enim negamus hanc apparitionem fuiſſe incarnationem, h. e. aſſumptionem, hominis in unionem perſonalem. Dicimus ſecundò, locum Apoſtoli (ad quem tacitè reſpicit D. B.) loqui de Chriſto quà nato, quà facto ex muliere; quòd nihil impedit, quò minus Filius Dei ὁ Λόγος apparuerit in

in specie carnis, nondum factæ ex muliere, nondum natæ, quia nondum morituræ (ut loquitur Tertullianus *adversus Marcion. L.* 3. *c.* 9.) Idem, *L. de carne Christi, c.* 6. *p.* 556. Atqui (inquit) tunc quoque inter illos Angelos (*scilicit Genes.* 18.—) ipse Deus apparuit Abrahæ, sine nativitate, in carne scilicet.

Leo M. pag. (*mihi*) 48. Prophetis & Patriarchis in specie carnis apparuit Christus. Illæ imagines hujus hominis erant indicia. *Hilarius in Ps.* 68. *p.* 827. Ad assumendæ carnis fidem, unigenitus Deus, in hominis specie & ab Abraham adoratur, & cum Jacob colluctatus ostenditur. Certe Petrus Cunæus non dubitat dicere se existimare Filium Dei, cum in viâ Abrahæ occurreret, eum vultum eúmque habitum corporis sibi finxisse, quem postea gestavit in terris. *Cun. L.* 3. *c.* 3. *p.* 288.

Quod ad D. Baxterum, adeo abhorret ab omni Filii apparitione quasi

quasi antiquis factâ, adeo infensus videtur peculiari commercio Patriarcharum cum unigenito Deo sub nomine Angeli, ut etiam Angelum illum, (*Gen.* 48. 16.) à quo Jacob benedictionem apprecatur filiis Josephi, neget fuisse Christum, merum Angelum fuisse dicat, non Deum: Immò tantum non crimen Arrianismi affingit & impingit contrarium sentientibus, (*P.* 235.) At vero alia admodum est mens Patrum & veterum, hâc ipsâ de re & loco. Alia mens Athanasii (minimè Arriani) qui *in Orat.* 4. *contra Arrian.* sic docet, Οὐκ ἂν γῶν εὔξαιτό τις, λαβεῖν παρὰ τοῦ Πατρὸς καὶ τῶν Ἀγγέλων, ἢ παρὰ τινος τῶν ἄλλων κτισμάτων —— ἀλλ' ἂν εἴποι τις, Δώη σοι ὁ Θεὸς καὶ Ἀγγελος; i. e. Nunquam autem precaretur quisquam, accipere à Deo & ab Angelis, aut ab ullâ aliâ creaturâ. —

P. 235.

Quidam (inquit) Idololatram vocaret eum, qui diceret cum Jacobo, (*Gen.* 48. 16.) Angelus qui me redemit ex omnibus malis, benedicat pueris. Hunc angelum, Christum esse volunt; at Scriptura Angelum vocat, *Hos.* 12. 4. At vero eundem (addit Propheta) qui inventus est in Bethel, (*Gen.* 35. 7, 11.) Eundem quem & Dominum Deum exercituum agnoscit, *Vers.* 5.

turâ.—— Neque quisquam diceret, Det tibi Deus & Angelus. In eandem sententiam Cyrillus Alexandrinus, *Thesaur. p.* 115, 116. ubi expositionem Arrianorum (hunc locum de Angelo creato interpretantium) vocat ἀμαθίαν τῆς χειρομάχων. *Idem, p.* 115. Οὐ γὰρ ἀνέξεται τις λέγοντός τινος, Δώῃ σοι τὸ αἰτήματά σε Θεὸς τύχῃν ὁ Πατὴρ καὶ ὁ Ἄγγελος, ἀλλ' εἶπε μεῖζον ὀνομάσειεν Ἀγγέλε. Omnium vero clarissimè Tertullianus, *L. de Trinitate c.* 27. *p.* 1049. Cum Manassen & Ephraim, Josephi, benedicturus esset hic ipse Jacob transversis super capita puerorum manibus conlocatis, *Deus* (inquit) qui pascit me à juventute meâ usque in hunc diem, *Angelus* qui liberavit me ex omnibus malis, *benedicat* pueros istos. Usque adeo autem *eundem* Angelum ponit quem Deum dixerat, ut singulariter in exitu sermonis sui posuerit personam de quâ loquebatur, dicendo, *Benedicat* pueros hos: Sin autem alterum Angelum vo-

voluiſſet intelligi, plurali numero duas perſonas complexus fuiſſet. Nunc autem unius perſonæ ſingularem numerum in benedictione poſuit, ex quo eundem Deum & Angelum intelligi voluit, ſed enim Deus Pater accipi non * poteſt; Deus autem & Angelus Chriſtus accipi poteſt. Firmiſſimum ſane gloſſema, & ex ipſius Textus viſceribus depromptum. Sed de his ſatis ſuperque & extra oleas fortaſſe: Redeo tandem ex hoc diverticulo in viam.

* Τίνα δὲ Ἄγγελον ὁ Πατὴρ; Theodoret. in Exod. *Quæſt.* 5. *p.* 71. Qui enim Deus eſt ex Deo, ipſe eſt & Angelus Dei. *Hilar. de Trin. L.* 4. *p.* 34.

Caput IV.

De primâ quæstione satis (ut opinor) dictum est, & disquisitum: Supereſt ut transeamus ad examen ſecundæ, ſcilicet, Utrum religio Chriſtiana ſit omnibus neceſſaria ad ſalutem, (ita enim ponitur, *Part.* 1. *p.* 15. circa medium; aliiſque verbis repertur, *Part.* 3. *p.* 17. *n.* 1. ſcilicet) Utrùm Fides in Chriſtum incarnatum, ſive religio propriè Chriſtiana ſit unica ad ſalutem via? Contrarium aſſerit D. Baxterus, ut lectori conſtabit è ſequentibus paragraphis. In poſtſcripto (uti vocat illud, quod toti præfigitur libro) *n.* 8. hæc habet; ‘Neque per Chriſti adventum ceſ‘ſavit fœdus ſeu Lex gratiæ prima ‘univerſalis, quâ media quædam ‘gratioſè præcipit ad peccatorum ‘remiſſionem & vitam obtinendam, ‘etiam iis quibus Evangelium, nun‘quam

'quam eſt prædicatum. *Part.* 3. *p.* '25. *Reſp. ad Obj.* 9. Fœdus gratiæ 'humano generi in Adamo & Noâ 'factum, adhuc extat: Et fœdus il-'lud continet promiſſionem ſalutis 'credentibus fide illâ veterum, *ſine* '*fide in Chriſtum jam incarnatum.* 'Item, *Reſp. ad Obj.* 10. *ibidem.* Ple-'nius autem, *Part.* 3. *p.* 19. *n.* 11. 'Præcepta fœderis gratiæ initialis 'quoad tenorem, etiam exteris, (i. 'e. ut opinor, Ethnicis, extra Eccle-'ſiam Evangelicam viventibus) ad-'huc viget. Et *Num.* 15. ubi edi-'tio perfectior, (h. e. Fœdus Chri-'ſtianum) nunquam promulgata 'eſt, imperfecta (editio) non ceſ-'ſat. Item, *Pag.* 22. *n.* 19. Qui E-'vangelium Chriſti neque audive-'runt neque audire potuiſſent, ſi 'fœderis gratiæ cum Adâ & Noe 'facti conditiones verè præſtent, 'ſalvi fuerint. Et, *Num.* 20. ex 'lege *Charitatis* erga Deum & pro-'ximum, *tenemur* opinari, nonnul-'los ex omnibus terræ nationibus, 'fœderis initialis conditiones (eti-

'am *nunc*) *verè præstare*, & indè 'certo *salvos fieri*.

Enimverò revocat mihi in memoriam illud Hieronymi, (*L. ad Cteſiph.* contra Pelagianos) 'Egre-'gii Doctores dicunt esse posse, 'quod nunquam fuisse demonstrant. Hæc enim cùm sit res facti (ut ipse docet Baxterus, in eodem capite, *Part.* 18. *n.* 9.) sine omni historicâ probatione gratis fingitur. Neque enim res charitatis hîc agitur, sed res veritatis & fidei orthodoxæ.

Neq; etiam charitas nostra statuenda est mensura veritatis Theologicæ. Quod ad Legem charitatis in judicando, consideretur Duplex esse Judicium humanum, quatenus exercetur circa alios, primum de factis & dictis, secundum de Personis. In rebus factis, *&c.* Charitas semper propendere debet in partem benigniorem. Quò spectant Scripturæ monita, *Matth.* 7. 1, 2. 1 *Cor.* 4. 5.

Ju-

Judicium de perſonis, h. e. de perſonarum ſtatu eſt etiam geminum, de ſtatu futuro & finali, & de ſtatu præſenti. Quod ad ſtatum futurum & finalem, nemo mortalium, dum eſt in vivis, à nobis eſt judicandus *; neque ſententia de quoquam ferenda (niſi hypothetice, ut *Pſ.* 9. 12. *Rom.* 8. 13.) Pendet enim ſors mortalium, dum verſantur in terris: Sunt adhuc in viâ, non in termino. (Vide Diſquiſitionis hujus *cap.* 1. §. 6. *p.* 28.)

* Hoc inter homines & dæmones diſtat, quod hominibus etiam valde malis ſupereſt, ſi Deus miſereatur, reconciliatio: Dæmonibus autem nulla eſt ſervata converſio. *Aug. ad articulos ſibi falſò impoſitos*, 6.

At verò quoad ſtatum præſentem, ſententiam pronunciare non dubitat Petrus in Simonem Magum, (*Act.* 8. 20, 23.) Paulus etiam in Elymam, (*Act.* 13. 10.) Item, in Galatas ad Legem relabentes, (*Gal.* 5. 2.) In eoſdem Galatas & Epheſios, dum adhuc Gentiles, (*Gal.* 4. 8. *Epheſ.* 2. 12, 13.) Ethnicos quidem eximit Apoſtolus à Judicio Eccleſiaſtico, quod tranſigitur in foro

Ecclesiæ, (1 *Cor.* 5. 12.) Eosque Deo judicandos relinquit, (*Vers.* 13. Eos qui foris sunt, judicabit Deus:) Qui tamen eo ipso in loco de statu eorum judicat, eosque disertè pronunciat foris esse, non intús. Servum alienum, i. e. conservum Christianum vetat Apostolus à nobis judicari. Esto; si ex apertâ professione constat eum esse servum, esse οἰκέτην Dei, esse οἰκεῖον Θεοῦ, Dei domesticum; quamvis erret, in quibusdam judaizando, est tamen charitate recipiendus & ferendus, nec à Deo abjudicandus. Scilicet apertè loquitur Apostolus de professis Ecclesiæ membris: At quid hoc ad exteros & alienos ab Ecclesiâ?

Rom. 14. 4.

Eph. 2. 19.

Est quidem Charitas in judicando favorabilis sed non cœca; ratione constat, non mero affectu; habet & ipsa Charitas (si ordinata) suam regulam, metas & cancellos suos, intra quos se continet, extra quos non temerè vagatur. In rebus latentibus, quas caliginosâ nocte

ſte premit Deus, non dogmatice pronunciat, ἃ μὴ ἑωρακεν ἐν ἐμβατεύῃ, non certa pro incertis ſumit aut ponit, nedum falſa pro veris. Dicitur quidem (1 *Cor.* 13. 7.) Charitas *omnia* credit, *omnia* ſperat. *Coloſſ.* 2. 18.

At quis non videt, iſta ſenſu reciproco eſſe intelligenda *. Credit omnia, ſcilicet omnia, credenda; ſperat omnia, ſcilicet ſperanda. Sumenda igitur ſunt verba Apoſtoli reflexivè, non directè & abſolutè; neque verba univerſaliter ſonantia rapienda ſunt in ſenſum ſimpliciter & abſolutè univerſalem (ſicut neque illa in *Pſal.* 145. 9. Miſericordiæ Domini ſuper *omnia* opera ejus;) niſi forte hinc, & Dei miſericordia & noſtra charitas, etiam ad Diabolum & Angelos ejus ſit extendenda. Talis perhibetur fuiſſe Origenis charitas, nimium Catholica, tum erga Diabolos, tum erga damnatos: Fore ſcilicet ut per miſericordiam Dei tandem liberarentur; Dæmonum atque hominum im- * Sicut & illa in *Pſal.* 145. 14.

impiorum, fore aliquando ἀποκατάστασιν; cui quidem dogmati tota penè reclamat veterum Theologia & Ecclesiæ censura. Ex dictis constat quam imbelle sit argumentum, quod petitur à prætextu charitatis. Quæ tamen non tam charitas dicenda est, quàm humanus quidam affectus; qui erga miseros locum habere inter homines potest, sed Deo in divinis præscribere non debet, uti nec nobis in rebus fidei. Meminisse enim oportet, misericordiam humanam non constitutam esse arbitram, pronam vel dispensatricem misericordiæ cœlestis & supernæ; neque (in gratuitis præsertim, nulloque jure debitis) eandem esse mensuram viscerum & voluntatis divinæ ac affectus humani. Quod & videtur notasse Augustinus (*Epist.* 99.) Virtutes (inquit) Gentilium, quâdam indole animi ita delectant, ut, in quibus hæ fuerint, vellemus præcipuè ab inferni cruciatibus liberari, *nisi* aliter se haberent sensus humani, aliter justitia Creatoris.

Ad

Ad rationes vero, quibus obligari nos vult D. Baxterus ad credendum, nonnullos ex omnibus terræ nationibus, fœderis initialis conditionem vere præstare & inde certò salvos fieri, (uti docet, *Part.* 3. *c.* 1. *p.* 22, 23.) breviter respondeo. Ad primam, Conditionis illius præstatio, Gentilibus (exteris ab Ecclesiâ) possibilis est, potentiâ remotâ, non proximâ. Ad secundam, Conceptus nostri de Divino amore & benignitate, *&c.* regulandi sunt juxta φαινόμενα Scripturæ, juxta analogiam fidei, & mentem Dei in verbo revelatam; neque nobis indulgendum, quicquam in his sapere, παρ' ὃ vel ὑπερ' ὃ γεγραπται. Ad tertiam, Gratiæ Legem toti quaquaversum mundo per omnia sæcula patefactam esse & exhibitam, gratis supponitur; immò ex supradictis (*cap.* 1, 2, 3.) refellitur. Ad 4am. & 5am. Ad instantias prolatas responsum est (*cap.* 3. *p.* 103.) & adhuc respondebitur. Loca etiam Scripturæ discussa, appensa sunt, & inveniuntur

tur minus habentia. Patrum, quæ fuerit in his mens & sententia, ostensum est, retro *cap.* 3. §. 4. *p.* 109. Et porrò in sequentibus, *cap.* 5. §. 4. *p.* 184.— Pleniúsque ostendi potest, si fert occasio. Liber ille Ciceronis (cui titulus, *Hortensius*) cujus meminit D. Baxterus (*P.* 23. in margine) fuit quidem occasio excitandi Augustinum ad sapientiæ & severioris Philosophiæ studium & indaginem; illius autem conversio, non sequebatur, nisi duodecim post annos (ut ipse testatur, *Confess. L.* 8. *c.* 7.) scilicet ex lectione paragraphi Apostolici, in *Ep.* ad Romanos, *cap.* 13. *vers.* 13, 14.

Sed redeo ad pensum, i. e. Ad Baxteri hypothesin discutiendam. Dico autem, & assero, Quod primum illud fœdus gratiæ, de promissione Christi & veniæ, vitæ ac salutis in eo dandæ, (neque enim aliud fœdus agnosco; & de hoc ipso agit hîc methodista, uti patet, *Pag.* 20. *n.* 16.) Illud (inquam) fœ-

fœdus, poſt adventum Chriſti & Evangelii, ex rei ipſius naturâ, & ipſo facto, tranſiit, totum tranſiit in fœdus Evangelicum. E contrà verò contendit D. B. fœdus illud apud Ethnicos extra-evangelicos, etiam poſt completam ſalutis οἰκονομίαν, adhuc vigere, & valere etiam ad ſalutem. Quod vero exempla quædam profert & urget, ſcilicet Abrahami, Davidis, (*P.* 21.) Melchiſedechi, Jobi, Ninevitarum, &c. Hæc omnia ſunt extra oleas καὶ ἀπερισπάστως; agitur enim de tali Fœdere gratiæ, quod cum Fœdere Evangelico ſit σύγχρονον & contemporaneum. Hi autem vixêre omnes ante Chriſtum & Evangelium. Quod autem ſpectat ad Apoſtolos, ſcilicet quales erant ante mortem Chriſti ejuſque reſurrectionem, (quibus nos urget, *P.* 21.) de illis jam dixi.

Addo autem, neque ipſos Apoſtolos tunc temporis fuiſſe contemporaneos Evangelio, plenè & per res ipſas patefacto, id eſt, διὰ τῆς πραγμάτων τῆς αὐτῶν γνωριζόντι, (uti

ti loquitur *Theophyl. in Ephes. c.* 3. 4, 5.)

Tandem verò, strictæ rationis pugno dimicat methodista, idque duplici argumento. Primò, Disputat in hunc modum, (*Part.* 3. *p.* 19. *n.* 15.) 'Ubi editio gratiæ perfectior nunquam promulgata est, Imperfecta (i. e. initialis) non cessat. Si enim cessat, Tum vel per 'ipsam Christi incarnationem cessavit, vel per Evangelii prædica-'tionem, vel per divinam revoca-'tionem, vel quia sub termino jam 'expirato, data est. Non per Chri-'sti incarnationem; quia incarnatus 'est ad beneficia majora, non mi-'nora, hominibus concedenda, & 'ad Ecclesiæ amplificationem, non 'diminutionem; non per Evangelii 'prædicationem, nisi ipsis quibus 'prædicatur; non per revocatio-'nem, nisi ubi augmentatio dici 'possit revocatio: Sicut scientia vi-'rilis finit scientiam puerilem; non 'quia terminus durationis advenit: 'Quia ubi Christus incarnatus per 'Evan-

'Evangelium non prædicatur, ibi 'terminus durationis prioris editio- 'nis non adhuc venit; & nulla 'prioris beneficia ablata ſunt, niſi 'per peccata amittantur; neque 'ceſſant, niſi per augmentationem, 'ſupervenientibus perfectioribus.

Ad hæc dico, Tota hæc argumentatio ſupponit ea quæ jam ſubruta ſunt & demolita, ſcilicet fœdus gratiæ univerſalis, per fidem in nudam Dei miſericordiam, ſine omni fide in Chriſtum venturum. Quod ſi loquatur de fœdere fundato in promiſſione de Chriſto, & ſalutis in eo & per ejus fidem donandæ (uti videtur loqui, ex iis quæ intermiſcet, *P.* 20. *n.* 16.) Tum reſpondeo,

§. 2. Primò, Quod ceſſavit illud fœdus (& vetus ejus adminiſtratio) per introductionem melioris ſpei per quam proximamus ad Deum, (*Heb.* 7. 19.) per ſubſtitutionem & ſurrogationem Novi fœderis & teſtamenti, (*Heb.* 12. 24. *Heb.* 8. 6.)

8. 6.) Dicendo enim Novum cessavit sive antiquavit vetus, (*Hebr.* 8. 13.) quod ideo est antiquatum quia impletum & consummatum. Ἦγε πρὸς τὸν Ἀβραὰμ διαθήκη ἐν χριστῷ πέρας ἔλαβεν· ἐν γὰρ τῷ σπέρματί σου, φησιν, εὐλογηθήσονται πάντα τὰ ἔθνη· ὅς ἐστι χριστός· i. e. Fœdus cum Abrahâ factum, in Christo consummatum est: Ait enim, in Semine tuo benedicentur omnes gentes, i. e. in Christo. Eademque est ratio fœderis Adamici, i. e. promissi de Semine venturo.

§. 3. Respondeo secundò, Quod cessavit per expirationem termini. Prima enim illa Lex gratiæ erat promissio de Christo venturo, & de redemptione per eum præstandâ. Promissio autem, re promissâ exhibitâ, ipso facto cedit & cessat. Quod verò dicit D. B. ubi Christus incarnatus, per Evangelium non prædicatur, ibi terminus prioris editionis non adhuc venit; in eo certè aut fallit aut fallitur. Siquidem fœdus

fœdus Evangelicum, non certos tantum homines, ſed totum genus humanum reſpicit afficitque. Neque finis aut periodus veteris & initialis οἰκονομίας eſt noſtra cognitio, ſed ipſe Chriſti adventus, & per ejus adventum conſummatio redemptionis promiſſæ; per quam corroboratio fœderis (i. e. novi) eſt facta (per expiationem iniquitatis) & Adductio ſempiternæ juſtitiæ, i.e. Evangelicæ; uti prædictum à Prophetâ *Daniel* 9. 24, 26. Sicut enim typicus ſacrificiorum ritus (qui ab initio, ſecundum D. B. *P.* 395. comitabatur fœdus gratiæ) non à noſtrâ cognitione periodum ſuam accepit, ſed ab ipſo Chriſti incarnati & morientis adventu, juxta illud Apoſtoli, *Hebr.* 10. 9. Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam; per quam voluntatem ſanctificati ſumus —— Unâ enim oblatione conſummavit in æternum ſanctificatos, (*Verſ.* 14.) Ita & fœdus illud initiale, terminandum & finiendum erat per præſentiam Chriſti morientis

entis & regnantis; neque amplius durare debuit aut potuit, quàm donec venerit Shilo, ad quem foret aggregatio omnium populorum, *Gen.* 49. 10. Ipse Author methodi (*Part.* 3. *p.* 20. *n.* 16.) fateri cogitur primi fœderis gratiæ vel partes vel circumstantias quasdam cessasse per ipsam Christi incarnationem; atque in hoc ipso instat, scilicet in futuritione Christi incarnandi. Atqui non perpendit totum discrimen inter fœdus primæ editionis & ultimæ, in his ipsis sive conditionibus sive partibus, sive circumstantiis consistere; ideóque his cessantibus, Totum cessavit, cessitq; succedenti. Siquidem idem erat in utrâque fœderis editione objectum fidei, quoad substantiam, Semen scilicet benedictum, sed ibi promissum, hîc exhibitum; ibi futurum, hîc præsens; ideóque primum fœdus, quatenus distinguebatur ab ultimo, omnino cessavit & expiravit. Idem suadet ratio Theologica; si enim adhuc fœdus isthoc initiale perennat, si

adhuc

adhuc obligat, huc viget apud Ethnicos extra-evangelicos, evitari non poteſt, quin credentes conjiciat in neceſſitatem falſæ fidei, Credendi ſcilicet in Meſſiam ut futurum, qui reverâ non eſt futurus. Fac enim, aliquem ex Judæis (apud Indos, vel in extremis Americæ partibus, degentem, uti ſomniat Manaſſes Ben-Iſrael) vel, aliquem è multis Ethnicorum myriadibus, vi & virtute illius promiſſi (traditione hauſti, ut vult D. B.) nunc credere & ſperare Semen promiſſum, Poteſtne credere in Semen, idq; promiſſum, de futuro, abſtrahendo ab omni futuritione aut expectatione? Scilicet credit verè promiſſum, quem non expectat futurum. Viderit D. B. vel quiſquis fuerit ejus ὑπεραπιστὴς, qualisnam ſit illa fides, quæ abſtrahit objectum ab omni temporis differentiâ. Certè neceſſe eſt ut credat futurum, quem neſcit præteritum aut præſentem; quem venturum ſperat, ſed neque adeſſe novit, neque adveniſſe. Adeó-

que hujusmodi fidei necessarium est subesse falsum.

§. 4. Respondeo etiam tertiò & ultimò, Cessat illud fœdus initiale, per ipsam rerum & status mutationem *. Fatetur ipse D. B. (*Part.* 3. *p.* 9. *n.* 1.) Tantas esse in regno Gratiæ per Christi incarnationem, mutationes, ut alius regni status sit dicendus. Huic statui, initiale illud fœdus, aut fides, quadrare non potest. Ingens enim mutatio alium etiam infert fidei statum quàm antea. Alia certè nunc est rerum scena, in orbe & Ecclesiâ: Dispensatio nova, nova οἰκονομία, non per umbras aut typos, non per nudas promissiones aut prædictiones administrata, sed per Res ipsas, Res veras & vivas, 2 *Cor.* 5. 17. Vetera præterierunt, omnia facta sunt nova. (*Ire-*

* *Greg. Nazianz. Orat.* 37. Δύω γεγόνασι μεταθέσεις βίου ἐπιφανεῖς ἐκ τῶν παντὸς αἰῶνος, ἅιδε δύω Διαθῆκαι καλοῦνται καὶ σεισμοὶ γῆς, διὰ τὸ τῶν ῥήματος πριβοήτον· ἡ μὲν, ἀπὸ τῶν εἰδώλων ἐπὶ τὸν νόμον· ἡ δὲ ἀπὸ τῶν νόμου, πρὸς τὸ Ἐυαγγέλιον. i. e. Duæ ex omni ævo mutationes magnæ, Duo fœdera, quæ & propter rei celebritatem, Terræ motus & concussiones appellantur (scilicet *Hagg.* 2. & *Hebr.* 12.) Altera ab Idolis ad Legem, altera à Lege ad Evangelium.

(*Irenæus*, *L.* 4. *c.* 67. *p.* 405. Interrogantibus—) Quid novi Dominus attulit veniens? (Respondit) Omnem novitatem attulit, semet ipsum afferens. Spes illa Israelis (*Act.* 28. 20.) facta est in Visionem, * *Luc.* 2. 30. Oculi mei viderunt salutare tuum. Piorum expectatio longa & diuturna versa est in fruitionem & adeptionem. Venit jam Semen promissum, venit Shilo, adest Propheta ille quem quicunque non audierit, exterminabitur, (*Deut.* 18. 19. *Act.* 3. 23.) Venit jam sponsor fœderis, (*Malach.* 3. 1.) & vadimonium conceptum & olim promissum, jam obiit, (*Hebr.* 10. 7.) Omnem & integram Dei voluntatem, ipse ἀυτοπροσώπως edidit & consignavit, (*Hebr.* 1. 1.) Ingens illud salutis humanæ negotium diu pendens, extra omnem aleæ jactum ipse in tuto & in vado collocavit & constituit, (*Joann.* 19. 30. *Hebr.* 10. 14.) Ἐπαγγελία abiit in Ἐυαγγέλιον, promissum, in nuncium. Ipsum fœdus & promissio transiit in Novum Te-

* Ipsa lectio Dominicæ passionis, quædam facta est Visio. *Leo. M. Serm.* 10. *p.* 201.

stamentum, non typico & umbratili, sed vivo ipsius Testatoris sanguine sancitum, ratum & dedicatum, (*Hebr.* 9. 15, 16. *Luc.* 22. 20.) Venit denique ipse Jesus, & Filius Dei, signaculum omnium prophetarum, adimplens omnia quæ retrò de eo Prophetæ nunciabant; Consummata sunt delicta, finem accepit peccatum, deleta est iniquitas, annunciata sempiterna Justitia, impleta est Visio —— Quæ omnia, priusquam Christus humanum corpus assumeret, *Sperabantur* magis quàm tenebantur (ut Hieronymus, in *Daniel c.* 9. *p.* 263.) Quæ, cum ita se habeant, non mirum si omnium fides, quæ priùs pendula erat & suspensa (quasi in generali & confuso fluctuans) jam fixa & determinata sit, ad filium Dei jam missum, uti satis innuit Salvator, *Joann.* 8. 24. Nisi credideritis, quod Ego Is sum, moriemini in peccatis. Hinc illud Tertulliani (adversùs *Praxeam*, *c.* 31. *p.* 859.) Sic Deus voluit novare sacramenta, ut *Novè* unus crederetur

tur per Filium & Spiritum Sanctum; ut coram jam Deus, in ſuis nominibus & perſonis cognoſceretur. Sic & *Irenæus*, *L.* 3. *c.* 12. *p.* 267, 268. Scilicet quod in Novo Teſtamento, novè in Deum per Spiritum Sanctum crederent; adeóque Deum ſub N. T. novè coli; (*L.* 3. *c.* 11. *p.* 255.) Non quod Chriſtus novum aliquod numen vel σέβασμα introduxerit, ſed novum ſolummodò Templum, in quo Deus nunc voluit coli, ſcilicet in carne Jeſu; atque etiam fidem cultumque non novum ſed quaſi novè modificatum, & determinatum, ad Deum ſcilicet in carne, ad hunc Jeſum in individuo. Idque juxta oracula divina ſcilicet, *Matth.* 3. 17. *Hic* eſt filius meus dilectus. *Mattth.* 17. 5. *Hunc* audite. *Act.* 2. 36. *Hunc* Jeſum, quem vos crucifixiſtis, & Dominum fecit & Chriſtum. Unde eſt quod doceat Irenæus, (*L.* 4. *c.* 47. *p.* 387.) quod, in N. T. ea quæ eſſet ad Deum fides hominum aucta eſt, additamentum accipiens Filium Dei.

Scilicet quâ manifestatum in carne (ut se explicat, *L.*4. *c.* 27.) Cum igitur multo aliter se habeat ingens objectum fidei quàm antea, necesse est ut aliter se habeat * Fides circa & erga hoc objectum. Objectum enim trahit post se fidem, (*Joann.* 12.32.) Objectum fidei, determinatius jam factum, necessariò fidem deposcit determinatiorem, & restrictam ad hunc in individuo. Cum enim futuritio redemptoris transiit in παρουσίαν, is qui futurum adhuc somniat, amittit præsentem. Omnes Dei promissiones, in Christo jam misso, passo & exaltato, factæ sunt τὸ ναὶ καὶ τὸ ἀμὴν, (2 *Cor.* 1. 20) eò igitur omnium fides necessariò est referenda.

* Siquidem, fatente D.B. *Part.* 3. *p* 392. *n.* 27. Mutatâ rerum naturâ, mutantur itidem officia humana.

Ad eum (ut olim, ad Templum Hierosolymitanum, *Dan.*6.10. 1 *Reg.* 8. 30, 44. 48.) omnium nunc spes & preces sunt dirigendæ. Omnes undecunque typorum, promissionum, vaticiniorum lineæ, in *Jesu* nostro, tanquam in centro salutis, conveniunt. Ideóq; fides quæ non in Jesum ut centrum respicit, est extra

extra ſalutis circumferentiam. *Illi* enim jam curvari debet omne genu, & confiteri omnis lingua, (*Iſai.* 45. 22. *Rom.* 15. 11.) *Ille* ſolus dandus erat in fœdus populi, (*Iſai.* 49. 8.) In lucem gentium, (*Verſ.* 6.) Ut eſſet ſalus Dei uſque ad extremitates terræ. Cum igitur omnis omnium gentium lux & ſalus & fœdus jam reſtringatur ad Jeſum Chriſtum, quis credat poſt Chriſti & Evangelii tempora, aliud eſſe fœdus, per quod quamplurimis Ethnicis aditus pateat ad Deum, ad vitam & ſalutem? Scilicet per fœdus initiale (ipſis etiam incognitum) ſine & præter & extra fidem Jeſu Chriſti aut Evangelii, ἐν ᾧ, in quo (Evangelio) omnes Theſauri ſapientiæ & ſcientiæ (ſalutiferæ) jam ſiti ſunt & reconditi, *Coloſſ.* 2. 3. (uti locum exponit noſter Davenantius.)

Opus hexaemeron (uti notant doctorum nonnulli *) οἰκονομίαν ſalutis hominum per ſeriem ſæculorum adumbravit. Dies quartus, (*Gen.*

*D. Jurieu, necnon Thorndicius de ratione finiendi controver. c. 4.

(*Gen.* 1. 19.) adventum Christi in quarto annorum millennario præsignificabat. Lumen illud, quod diem primum, secundum & tertium distinxit, videtur fuisse mobile quoddam lucis hemisphærium, per 24 horarum spatium gradatim circumactum. Quod lumen prius tenuiter dispersum, Die quarto fixum videtur & conspissatum, in corpus & discum solis, qui exinde solus Diem fecit. Sunt hæc (ut videntur) ἀλληγορέμενα. Sicut enim lumen illud per triduum sparsum, compingebatur omne in solem; ita omnes undequaque radii luminis aut fidei divinæ, in Jesu nostro incarnato coibant universi. Ortus est hic Justitiæ Sol, & sanitas in pennis ejus, (*Malach.* 4. 2. *Luc.* 1. 78. *Joann.* 9. 5.) Quicunque igitur jam vitam quærit extra Jesum, is diem quærit extra Solem; citius perditè erraturus in tenebris, quàm salubriter inventurus.

§. 5.

§. 5. Diſputat autem ſecundò Methodiſta, (*Part.* 3. *p.* 19. *n.* 15.) 'Ubi dicit, Fœdus initiale non ceſ-'ſaſſe per Chriſti incarnationem, eò 'quod Chriſtus incarnatus ſit ad ma-'jora beneficia, non minora, homi-'nibus concedenda, & ad Eccleſiæ 'amplificationem non diminntio-'nem. Item, *Pag.* 26. *n.* 3. *&* 4. 'Certum eſſe Chriſti incarnationem, 'Mundum in ſtatum deteriorem 'non dejeciſſe, ideóque fœderis in-'itialis beneficia, manere iis, quibus 'antecedentèr pertinebant, niſi aut 'per majora, aut per contemptum 'gratiæ ceſſent. At verò reſpon-deo, Supponere hîc methodiſtam, Fœdus gratiæ univerſale, omnibus universìm hominibus, ab initio, ſemper & ubique fuiſſe indultum & exhibitum; quod in ſupra dictis eſt refutatum. Repetenda igitur eſt hîc diſtinctio illa, quam ſupra dedimus, inter tenorem fœderis univerſalem & actualem ipſius fœderis adminiſtrationem & exhibiti- Cap. 1 §. 3.

bitionem. Tenor fœderis, jam Evangelici, eſt æque nunc univerſalis ac erat fœderis primi, neminem excludens, niſi finaliter incredulum & impœnitentem (quod etiam fatetur ipſe D. B. *Part.* 3. *p.* 56. *n.* 8.) Adeóque hâc in parte, nulla *eſt diminutio*, nulla Mundi deterioratio, per incarnationem vel adventum Chriſti. Quod verò ſpectat ad actualem fœderis adminiſtrationem, exhibitionem & diſpenſationem, certè multò longius & latius, per omnes ferè terrarum tractus, diſſeminata eſt fœderis Evangelici prædicatio & præconium, quàm primi illius initialis, Adamo & Noæ facti: Scilicet per totam Europam, per magnam Aſiæ & Africæ partem, etiam ad Americam & utroſque Indos pervaſit & penetravit non ſolum fama & ſonus, ſed etiam doctrina Chriſtianiſmi. Etiam ipſis Apoſtolorum temporibus, latè ſparſa, uti innuit Apoſtolus, (*Rom.* 10. 18. *c.* 15. 19, 24. *Coloſſ.* 1. 6.) Idemque teſtantur ſcripta Irenæi,

Irenæi, Tertulliani, *&c.* Adeo ut neutiquàm fraudi fuerit, neque in detrimentum ceſſerit humani generis, quod expirante fœdere Adamico & Noachico, ſucceſſerit ei, unà cum tantâ claritate multis paraſangis illuſtriori, Fœdus Chriſtianum & Evangelicum.

CAPUT

Caput V.

His igitur ita ventilatis & discussis, venio ad Principalem Thesin sive Anti-thesin, quàm in oppositum sententiæ Baxterianæ, jure merito erigendam statuo, scilicet, quod extra fidem Jesu Christi, in Evangelio & Novo Testamento jam patefacti, non detur salus. Id quod sequentibus argumentis probatum dabitur.

Quorum primum petitur à non-scripto. Scilicet quia contraria hypothesis gratis & sine omni in Scripturis fundamento, Duo ponit fœdera gratiæ, sibi contemporanea, Duos salutis modos & vias, Duplicem etiam Fidem salvificam, seu potius Triplicem, Alteram in nudam Dei misericordiam, absque omni intuitu ad Christum futurum aut incarnatum; secundam (siqua invenitur) in promissionem Seminis præ-

prædicti & prænunciati; tertiam, in Chriſtum præſentem & exhibitum.

E contra docet Apoſtolus, (*Eph.* 4. 4, 5.) quod una, (i. e. unica) eſt ſpes, una fides, ſicut unus Dominus, unum Baptiſma, unum Corpus. In quem locum ſic Auguſtinus, ſive Author hypognoſticῶν ſub nomine Auguſtini, *L.* 3. *p.* 299. Omnem verò amputavit imperitorum ſuſpicionem ancipitem—— cum ſcribit Epheſiis, unum Corpus, unus Spiritus, una Fides, donec occurramus omnes in unitatem fidei, ſed fidei quæ eſt in *Jeſu Chriſto* —— Nota dictum, Hæretice, *omnes* & in *unitatem Fidei*, ſed Fidei quæ eſt in *Jeſu Chriſto*. Oecumenius, in *Galat.* 3. *p.* 591. Μία ἔζιν ἡ δι' ἧς δικαίωσα, ἡ διὰ πίςεως. At ſi triplex ſit fides ſalvifica, triplicem oportet eſſe ὁδὸν δικαίωσαν, eamque contemporaneam & coordinatam. Priusquam venerat Chriſtus, Fides in eum futurum eadem erat cum fide in Jeſum, licet ſub aliâ & aliâ habitudine, (ut Aquinas loquitur)

tur) credentium ad rem creditam. At quisquis, exhibito in carne Christo, credit in adhuc venturum, is Christum disjungit à Jesu, creditq; fide non tam co-incidente & subordinatâ, quàm oppositâ. Neque enim quisquam nunc potest credere in Christum vel in Messiam, nisi vel aut quatenus futurum, aut quatenus datum & exhibitum; & qui expectat futurum, negat exhibitum; quem tamen nisi quis confiteatur venisse in carnem (sive eum expectet, sive non expectet) est extra Deum & salutem, 1 *Joann.* 4. 2, 3. Omnis qui non confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo non est, h. e. non natus ex Deo (ut *cap.* 3. 9, 10.) sed cum mundo jacens in maligno, (ὁν τῷ πονηρῷ) *cap.* 5. 19.

Argumentum secundum petitur à materiâ & fine Epistolæ ad Romanos. Hic enim scopus, hæc meta est, quam sibi feriendam ibi figit Apostolus, scilicet ut evincat omnibus universim, tum Gentilibus, tum Judæis,

Judæis, neceſſitatem Chriſtianiſmi. *Theophil. in Rom.* 7. 15. Οὗτος ὅλην ὁ σκοπὸς τῷ Ἀποστόλῳ, ὅσα τε εἶπεν καὶ ὧν μέλλει εἰπεῖν, τὸ δεῖξαι τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν ἀνίατον παθοῦσαν, καὶ ὑπ' οὐδενὸς ἄλλου τινὸς ἰαθεῖσαν, ἢ ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ. i. e. Hic Apoſtolo ſcopus eſt, per omnia quæ dixit & dicturus eſt, ſcilicet demonſtrare humanam naturam immedicabilia paſſam, nec ab alio ullo ſanitati reſtitutam, præterquàm à ſolo Chriſto Jeſu. Quid enim agitur per totam Epiſtolam, niſi ut palam oſtendat neque per τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, (*Rom.* 1. 19, 21.) adductos eſſe homines ad reverentiam Dei; neque per τὸ χρηστὸν τοῦ Θεοῦ, (*Rom.* 2. 4, 5.) ad pœnitentiam adactos: Neque Gentiles per legem naturæ, (*Rom.* 2. 12.) Neque Judæos per legem Moſis, juſtitiam eſſe aſſequutos, (*Rom.* 3. 20. *c.* 9. 31.) Solum denique Evangelium eſſe virtutem & potentiam Dei ad ſalutem omnium credentium, (*Rom.* 1. 16, 17.) Neminem juſtificari niſi ex juſtitiâ Dei quæ eſt per fidem Jeſu Chriſti, in

omnes & super omnes qui credunt, (*Rom.* 3. 20, 21, 22.) Omnes denique defeciſſe à gloriâ Dei, (*Rom.* 3. 23.) Univerſum Mundum eſſe Deo obnoxium, (*Verſ.* 19.) Omnes concluſos eſſe ſub infidelitate, (*Rom.* 11. 32.) ut Deus miſereatur omnium; per remedium ſcilicet Jeſu Chriſti & Evangelii. Ita enim alibi, *Gal.* 3. 22. Omnes concluſos eſſe ſub peccato, ut promiſſio *per fidem Jeſu Chriſti* daretur omnibus credentibus. Annon mirum eſt Apoſtolo non veniſſe in mentem, Fœdus illud gratiæ univerſale & initiale, omnibus & ſingulis in Mundo indultum & jam diu ubique diſpenſatum, & in pleno vigore, etiam apud Gentiles, continuatum? Cum potius contrarium innuat, ſcilicet hoc fuiſſe Judæorum τὸ ἰδιάζον, ſingulare eorum (licet externum) privilegium, Quòd illis (ſolis) concredita eſſent Dei eloquia & oracula, (*Rom.* 3. 2.) Quòd illorum (tantummodò) fuerit Adoptio & Gloria, & Teſtamentum, & Legiſlatio,

καὶ ἡ λατρεία, καὶ αἱ ἐπαγγελίαι, (*Rom.* 9. 4.) Gentiles interim (quorum animis nondum affulserat Evangelium) relinquit in somno & spissâ nocte, (*Rom.* 13. 11, 12.) sub vanitate διαλογισμῶν, sub sensu reprobo, (*Rom.* 1. 21, 28.) foris & extra populum Dei, (*Rom.* 10. 19.) Quæ omnia miserrimi status συμπτώματα, quàm bellè congruunt cum dictis D. Baxteri (qui apertè negat, *Part.* 3. *p.* 19. id quod Apostolus diserte affirmat, scilicet, Eos fuisse sine spe, sine Deo in Mundo, *Eph.* 2. 12.) cuivis facile videre est. Quanto rectius Theophil. (in *Rom.* 2. 14, 15.) qui quamvis concedat rationis subsidia, esse & fuisse ab ipso Christo (scilicet ut Λόγῳ & Deo æterno) negat tamen ea quicquam valuisse ad salutem, Τὴν τοῦ καλοῦ καὶ κακοῦ γνῶσιν πᾶσιν ἀπ' ἀρχῆς ἐνέθηκεν, (scilicet ὁ χριστὸς) ἐπεὶ δὲ εἶδον ὅτι οὐδὲν οὕτως ἀνύει, ἐπ' ἐσχάτων αὐτὸς παρεγένετο. i. e. Notitias boni & mali omnibus ab initio inseruit (Christus,) postquàm verò vidit, quod ne sic

quidem proficeret, ipse venit (i. e. cum carne nostrâ & Evangelio.) Idem, in *Luc.* 12. *p.* 424. ἐπεὶ ὃ ἄχρηστον ἔυρεν ἐν ἡμῖν τ φυσικὸν (νόμον) ἔδωκε τ Μωσαϊκὸν —— ὡς ὃ κ ἔτθ ἄχρηςθ. διὰ τ ῥαθυμίαν ἡμῶν ἐυρίσκετο, δίδωσι τ πνευματικόν. i. e. Quia in nobis naturalem (legem) invenit inutilem dedit & Mosaicam —— quæ cum & ipsa inventa est infrugifera, propter nostram socordiam, dedit Spiritualem, (i. e. Legem Evangelicam.)

Argumentum tertium petitur ab alto Scripturæ silentio, de ullâ Gentium vocatione, præterquàm Evangelicâ. Fœdus universale deposcit congruam & æque universalem à Deo invitationem & vocationem. At verò per totam sacram paginam nulla usquam vel unquam occurrit mentio vocationis Gentilium, nisi quæ conjungitur cum adventu Christi & Evangelii. Sic, *Gen.* 22. 18. In semine tuo benedicentur omnes gentes. *Gen.* 49. 10. Donec Shilo venerit, & ad eum erit

rit collectio vel Aggregatio Gentium. Quæ etiam repetitur, *Psal.* 72. 11. Adorabunt eum omnes Reges, omnes gentes servient ei. Et *Vers.* 17. Benedicentur in eo omnes tribus terræ. *Psal.* 2. 8. Dabo tibi gentes in hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos Terræ. Eadem conjunctim occurrunt, *Isai.* 11. 10. *c.* 42. 7. *c.* 49. 6, 8, 20, 22, 23. *c.* 52. 15. *c.* 65. 1, 2. *Hagg.* 2. 7, 8. Quæ omnia nusquam impleta sunt nisi Christo adveniente & vexillum Evangelii ad omnes populos erigente. Immò vocatio gentium diu latuit, ut mysterium temporibus tacitum, (*Rom.* 16. 25.) non agnitum filiis hominum, sicut nunc (per res ipsas scilicet) revelatum est Sanctis Apostolis, (*Ephes.* 3. 5, 6.) Vix & ægrè tandem ab ipsis Christianis creditum, ut novum quiddam & inexpectatum, nec sine summâ admiratione & stupore quodam receptum, (*Act.* 10. 45. *Act.* 11. 5, 18.) Etiam ab Apostolo recensetur inter sacramenta pietatis, scilicet Christus

gentibus prædicatus, & creditus in Mundo, (1 *Tim.* 3. 16.)

Argumentum quartum petitur è statu Gentilium, extra fidem & Ecclesiam Evangelicam, utpote qui foris ponuntur, Canes vocantur & Immundi, adeóque extra novam & cœlestem Hierusalem; in quam non intrabit aliquid immundum & inquinatum; teste Joanne, *Apocal.* 21. 27. & *c.* 22. 15. Foris autem Canes. Annon verò ipse Christus, Gentiles Canum nomine stigmatizat, *Matth.* 15. 26. Annon Apostolus, omnes non credentes (Christo scilicet & Evangelio) ponit inter immundos? (*Tit.* 1. 15.) Coinquinatis & Infidelibus, nihil est Mundum. Annon interminatur Christianis, ne jugum trahant cum Infidelibus? (2 *Cor.* 6. 14. & *Vers.* 17.) Exite è medio eorum, nec *Immundum* tetigeritis. Postremò: Annon etiam, sublato jam intergerino pariete, omnes tamen Gentiles cum liberis eorum pronunciat Immundos? (1 *Cor.* 7. 14.) Non quoad conversationem civilem, (1 *Cor.*

(1 *Cor.* 5. 10.) ſed quoad ſtatum erga Deum. Immundos (inquit Voetius, *Vol.* 2. *p.* 638.) non quatenus erant præputiati in carne, aut cibis veſcentes immundis, aut aliâ quâcunque externâ ratione legaliter immundi (de quâ immunditie per Chriſtum ſublatâ, agitur *Act.* 10. 28.) ſed quia erant οἱ ἔξω (1 *Cor.* 5. 12.) Quia non erant fœderati, nec populus Dei; qualis immundities, etiam ſublatâ illâ ceremoniali & œconomicâ diſtinctione, manet in Gentilibus, æque poſt Chriſtum & Evangelium, ac ante, 1 *Cor.* 7. 14. *Rom.* 10. 19.

Quinto, Locum habet hîc Argumentum ab Aquinate mutuatum (ſupra recitatum, *c.* 3. *p.* 100, 101.) Scilicit quod fides ſalvifica neceſſariò cohæret cum objecto ſalvifico, h. e. neceſſariò ferri debet in Authorem ſalutis, (*Hebr.* 5. 9.) Non ſolum in miſericordiam Dei ὁν πιστεύει, ſed etiam in procuratorem hujus miſericordiæ; ſeu potius in hunc primò & immediatè, (1 *Pet.* 1. 21.)

In illam verò ultimè, ut in hoc fundatam. Et certè si Mundus non potuit salvari sine fide & cognitione Christi promissi, antequàm venit (ut supra evicimus, *c.* 3.) Annon fides & agnitio *Hujus* salvatoris in individuo æque erit necessaria, postquàm advenerit? Neque enim Deus dat salutem, nisi Dando scientiam & cognitionem salutis, *Luc.* 1. 77, 78. Item, 1 *Tim.* 2. 4. De quo postea.

Sexto, Si fœdus aliquod gratiæ & vitæ adhuc viget apud universos Gentiles, tum (ut rectè Josephus Acosta, *L.* 5. *de procur. Indorum salute*) gratis Christus prædicatur, frustrà Apostoli mittuntur in orbem, frustrà Evangelium per gentes disseminatur. Quorsum enim tot Labores, tot itinera circumeuntium & Evangelizantium, si per fœdus gratiæ universale, omnibus cognoscibile, & per fidem in nudum Creatorem, in meram Dei misericordiam, omnibus obviam, sine & extra Christi cognitionem, haberent

rent Ethnici jam domi paratam, veniam & vitam & omnia ad ſalutem? Quæ ſanè favorabilis opinio de ſtatu & ſorte Ethnicorum, ſi admittatur, ſi eam penitùs & univerſim in animos ſemel imbiberint Chriſtiani, quantam remoram, quàm ingens ſufflamen neceſſe eſt ut injiciat rotæ & curſui Evangelii? Quantum frigidæ ſuffundet in Zelum (heu jam nimis ex ſe tepidum!) Chriſtianorum erga ſalutem extraneorum? Non parùm vergit in detrimentum religionis, ubi neceſſitas Evangelii & Chriſtianiſmi vertitur in dubium problematicum & quæſtionem quodlibeticam: Multò autem magis, ſi non ſolùm dubitetur vel diſputetur, ſed etiam aperto ore & exertâ fronte negetur. Quam quidem ſententiam (negativam) uti mihi videtur, graviſſima onerant incommoda. Ita enim ſentiens & taliter animatus, quid tandem reſpondebit ſive Turcæ aut Indo, ſive Sinenſi aut Americano, qui hunc in modum argutaret; Tu me

Chri-

Christianum fieri vis & acriter contendis. At quid mihi (satis ut videtur ad vitam instructo) frustrà & superfluè negotium facessis? Quid mihi religionem Christianam obtrudis, quam tute ipse non credis, immò disertè profiteris non esse omnino & absolutè necessàriam? Saltem non aliâ necessitate, nisi eâ quam tua mihi creat Evangelii prædicatio; non aliâ quàm necessitate præcepti, non necessitate medii (ut ipse methodista distinguit, *Part.* 2. *p.* 431. *n.* 23. *Part.* 3. *p.* 20. *n.* 17. *(f.* 7.) *& Pag.* 25. *Resp. ad Obj.* 10.) Denique quid vel quorsum est quod me urgeas ad fidem Christi, cum teipso fatente, sola fides in nudam Dei misericordiam, ex obviis & quotidianis Providentiæ operibus facilè collecta, mihique & omnibus patefacta, satis sit & sufficiat ad salutem? Quid mihi novum apportas fœdus Evangelicum, Cui domi est fœdus gratiæ universale, mihi & omnibus suppeditatum? Quid per ambages & circuitum Symboli supernaturalis

naturalis me ad cœlum ire invitas & incitas, cum rectâ & ſimplici viâ illuc licet incedere? Ut verbo dicam, ſublatâ ſemel vel diminutâ Fidei Chriſtianæ neceſſitate, periclitabitur Religio Chriſti tam apud ſuos quàm apud exteros, nec aliter æſtimabitur (uti rectè notat D. Sherlock, In vindiciis *Trinit. p.* 26.) quàm ut nova quædam exactior Philoſophiæ Secta, conſummatior quidem quàm quæ obtinuit vel inter Judæos vel inter Ethnicos, at quæ ignorari poteſt ſine damno ſalutis; adeóque ſortem & ſtatum ſive Judæorum ſive Gentilium, æq; tutum fore, abſque & extra hanc cognitionem, ac Chriſtianorum, modò vixerint juxta luminis indulti modulum. Contra quod dogma (*Deiſtarum*, magis quàm *Chriſtianorum*) vide eximia quædam & lectu per quàm digna, in Jacobo Arminio, in calce hujus libri & capitis repræſentata.

Argu-

Argumentum Septimum petitur à complexu Ecclesiæ Christianæ, & in eâ contentis. Sic autem habet; si Ecclesia & fides Evangelica suo ambitu continet omnes oves præscitas & à Deo datas (1), omnes Dei filios (2), omnes regenitos (3), omnes justificatos (4), omnes sanctificatos (5), omnes beandos (6), & omnes salvandos (7): Tum extra fidem & Ecclesiam Evangelicam, non datur salus, consequentia per se satis est liquida; veritas antecedentis probabitur per partes, juxta seriem numerorum affixorum.

(1). Primò, Omnes oves Dei, præscitas & à Deo datas. *Joan.* 10. 16. (inquit Dominus) Alias oves habeo quæ non sunt de hoc ovili, & illas oportet me adducere, & *vocem meam* audient, & fiet unum ovile & unus pastor. Pensitemus singula. Ovile vocat multitudinem hominum, iisdem legibus viventium (inquit Malvenda.) Hujus ovilis ostium se esse docet Christus, *(Vers.* 7.) per quod

quod intrare debent. Neque quisquam aliter ingreditur (inquit Euthymius) nisi per ipsum & per *fidem* quæ in ipsum est, ac ejus doctrinam. Addit porrò, alias oves habeo, scilicet ex Gentibus, jure paterni doni promissas; nec dum enim re ipsâ habebat —— vocat suas oves per anticipationem, quæ certo futuræ essent (inquit Lucas Brugensis.)—— Quæ non sunt de hoc ovile.] i. e. Non de populo Israelis (secundùm Augustinum) hoc enim hactenus erat ovile Dei, deique peculium. Non verò intelligit has è gentibus oves suas esse in alio ovili, quasi sit ovile aliquod gentium, sed extra omne Dei ovile, palantes & errantes sine septis, lupis expositas (inquit *Luc. Brug.*) Has (inquit) oportet me ἀγαγεῖν, adducere, congregare, non in Synagogam Judaicam, sed sub virgam meam pastoritiam, sub regimen meum, sub meam pascendi rationem, (ita Euthymius.)—— Et audient vocem meam. Quænam est vox Christi nisi Evangelium?

(*Hebr.*

(*Hebr.* 1. 1. *Hebr.* 2. 3, 4.) Hanc vocem audient, i. e. credent & parebunt; (Euthymius) recipient Evangelium meum.— Et fiet unum ovile (non jam ἀυλὴ sed ποίμνη,) i. e. unus grex; ovile novum & amplissimum, non enim permansit vetus. Prædicit (inquit *L. Brug.*) unum fore gregem, unum populum ex Judæis & gentibus; unum autem non loco, *sed fide*, *religione*, sacrificio, sacramentis, spe, denique pastore. De solis præscitis & prædestinatis locum exponunt, S. Aug. & Beda (inquit Maldonatus) sic & Toletus, & Bellarminus; noster etiam Davenantius (*D.* 90.) Agit (inquit) de ovibus secundùm electionis propositum destinatis; non verò de ovibus secundùm actum & statum præsentem consideratis. Nam juxta Augustinum, (*Tract.* 45. *in Joann.*) secundùm præscientiam & prædestinationem, quàm multæ oves foris quàm multi lupi intus? Tandem verò describit harum ovium conditionem, futuram scilicet.

Earum

Earum vocationem— audient vocem meam; earum converſionem, — Adducentur, i. e. in unam Chriſti Eccleſiam; earum fidem & cognitionem planè Evangelicam, *Verſ.* 14. Cognoſcent me oves meæ. *Verſ.* 26. Oves meæ vocem meam audiunt; earum denique ſortem & ſalutem æternam, *Verſ.* 28. Ego vitam æternam do illis & non peribunt in æternum.

Hîc igitur quæro de Ethnicis (Domini Baxteri) extra-evangelicis, Sunt ne oves Jeſu Chriſti? Suntne ab eo cogniti? (*Verſ.* 14, 27.) Præſciti & prædeſtinati ad vitam æternam? Si ita, tum per oſtium intrant, per fidem quæ eſt in Jeſu (juxta Euthymium;) tum vocantur voce Chriſti, ſibilo paſtoris, per Evangelium ſcilicet, per ora & doctrinam Apoſtolorum; tum cognoſcent Jeſum paſtorem ſuum, eumque ſequuntur. Sin verò omnia hæc illis deſunt, ſtent ad ſiniſtram Dei, ut hirci, non ad dextram, ut oves, (*Matth.* 25. 32, 33.)

Idem

Idem dici possit de Datis à Deo, quorum fit mentio, *Joann.* 6. 37. *Joann.* 17. 2, 6, 9, 24. Datio hæc sive denotet probitatem vel docilitatem quandam in Datis (ut nonnulli volunt,) sive potiùs Actum Dei donantis ab extra (neq; enim Datum esse, sonat denominationem intrinsecam, sed merè extrinsecam) certè de omnibus quibuscunque à Deo Datis, disertè dicitur à Jesu, (*Joann.* 6. 37.) Venient ad *me*, i.e. credent in me. Quid enim aliud est venire ad Jesum, quam credere in Jesum? Uti patet ex *Vers.* 30. Ubi, qui venit ad me, idem est quod (in priori commatis membro) dicitur, qui credit in me. Unde S. Aug. (ad Dardanum) Quid (inquit) miraris? Crede & venisti. Dat (inquit *L. Brug.*) Dat Deus, prædestinatione & electione; Dat ad salvandum: Et omnis ita Datus ad me veniet, i. e. verba mea fide excipiet. Quos enim prædestinavit, hos & vocat, (*Rom.* 8. 30.) Vocat autem in societatem Fi-

lii ſui Jeſu Chriſti, (*1 Cor. 1. 9.*) quod notat Euthymius.

(2.) Secundò, Omnes Dei filios, *Joa. 11. 51, 52.* Prophetavit quod Jeſus moriturus erat —— ut filios Dei qui erant diſperſi, (i. e. per omnes gentes) congregaret in unum. Filios Dei? i. e. Electos ex Gentilitate: Filios de electione & prædeſtinatione divinâ (*Luc. Brug.*) Filios Dei vocat, ab eo quod futurum erat (*Chryſoſt.*) Item Auguſtinus (ad Dardanum,) Filios Dei utique appellat, præter gentem Hebræam, in cæteris etiam omnibus gentibus conſtitutos, nondum fideles, nondum baptizatos. Quomodo ergò Dei Filios, niſi ſecundùm prædeſtinationem? —— Illa autem in unum congregatio factura eos erat Filios Dei. Idem *Aug. de correptione, c. 9. p. 288.* Deo erant Filii, quod utique *credendo* futuri erant per prædicationem Evangelii. —— Congregaret in unum.] i. e. In unum ovile vel gregem, (*Joann. 10. 16.*) Ita ut forent omnes unus grex, cui unus Deus,

una Fides, unum Baptisma, una Ecclesia, unius *Fidei* spei & charitatis, (*Luc. Brug.*) Quomodo autem congregaret, nisi per Fidem Evangelicam, per quam etiam Filii fiunt, *Gal.* 3. 26. Omnes enim filii estis, per fidem quæ est in Christo *Jesu*. Omnes sine exceptione, sive Judæus sive Græcus, omnes unum estis in *Jesu* Christo, uti sequitur *Vers.* 28. Hilarius in locum illum *Joannis c.* 8. 42. Si Deus Pater vester esset, diligeretis utique me, ego enim exivi à Patre; omnibus (inquit) quibus per fidem Deus Pater est, *per eam fidem* Pater est, quâ *Jesum* Christum Dei Filium confitentur. *Quæro igitur hîc etiam de Tuis extra-evangelicis, suntne Filii Dei annon? Si non Filii Dei, tum filii iræ, neque enim datur tertium. Sin verò Filii, per quam (quæso) fidem, si non per fidem Jesu Christi, quam eis negas?

*Non ante Filii esse possumus, nisi Filii ejus Jesu Christi fidem & intelligentiam recipiamus. *Hieronym. in Ephes. Q. 1. Vers. 5.*

(3.) Tertiò, Omnes regenitos Dei. Ad præsentia nati sumus (inquit Leo, *p.* 46.) ad futura renati. Sed quo

quo ſemine? 1 *Petr.* 1. 23. Non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei vivi —— per verbum quod *evangelizatum* eſt ad vos, (*Verſ.* 25.) 1 *Joann.* 5. 1. Omnis qui credit quod *Jeſus* eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt; ſine quâ fide & renaſcentiâ nulla ſalus, *Joann.* 1. 12. *Joann.* 3. 3, 5.

(4.) Quartò, Omnes juſtificatos, *Iſai.* 53. 11. per cognitionem ſui juſtificabit ſervus meus multos; non quidem omnes, quia non omnium eſt fides, (2 *Theſſ.* 3. 2.) at multitudinem juſtificandorum. At neque quenquam juſtificare dicitur niſi agnitus, cognitus & creditus. *Rom.* 8. 29, 30. Quos præſcivit, prædeſtinavit— Quos prædeſtinavit, vocavit (quomodo autem vocati, niſi vocati Jeſu Chriſti, *Rom.* 1. 6.) Quos vocavit, hos juſtificavit. Suntne tui extra-evangelici in hac catenâ? Num præſciti, num prædeſtinati? Tum certe debent eſſe vocati (vocati in gratiam Chriſti, *Gal.* 1. 6. Vocati per Evangelium Chriſti,

(2 *Thess.* 2. 13.) atque ita demùm justificati.) *Galat.* 2. 16. Scientes quod non justificatur homo (homo indefinitè sumptus, non ullus, non quisquam hominum) ex operibus legis, nisi per fidem *Jesu* Christi—— (negas tu, & rectè, quenquam justificari ex operibus legis; at crede etiam Apostolo, quod nemo justificatur *nisi per fidem Jesu*) sequitur in eodem commate— Nos etiam in Christo *Jesu* credimus, ut justificemur ex fide Christi. At quid opus erat confugere ad *Jesum* Christum per fidem Christi, si alia erat via, alius modus justificandi, scilicet per fœdus & fidem misericordiæ, sine omni intuitu ad *Jesum* Christum? *Galat.* 3. 8. Prævidens Scriptura quod ex fide gentes justificaret Deus—— Quâ fide? Ex fide seminis benedicti, (*Vers.* 8.) Immò ex fide *Jesu* Christi, (*Vers.* 22, 24, 26.) Nullos è gentium turbâ prævidit Scriptura justificandos, benedicendos, hæreditate aut Spiritu aut filiatione donandos, nisi per fidem in *Jesum*,

(*Vers.*

(*Verſ.* 14, 18, 22, 24, 26.) *Rom* 3. 22. Juſtitia Dei per fidem *Jeſu* Chriſti, in omnes & ſuper omnes qui credunt *in eum:* Non enim eſt diſtinctio. (Cui addatur *Verſus* 26.) ut ſit (Deus) ipſe juſtus & juſtificator ejus qui eſt ex fide *Jeſu*, vel ejus qui credit in *Jeſum*. An verò etiam juſtificator ejus qui non credit in Jeſum? Nuſquam dicitur, nuſquam ſcribitur. Auguſtinus *Epiſt.* 50. (*ad Bonifac.*) Non autem juſtificat niſi Corpus ſuum, quod eſt Eccleſia.

(5.) Quintò, Omnes ſanctificandos. *Aug. c. Julian. Pel. L.* 4. 3. Ac per hoc gratis mortuus eſt Chriſtus, ſi homines *ſine fide Chriſti*, ad fidem veram, ad virtutem veram, ad juſtitiam veram, ad ſapientiam veram, quâcunque aliâ re, quâcunque aliâ ratione perveniant, *Aug. de C. D. L.* 4. *c.* 10. In partibus juſtitiæ eſt Fides: Juſtus enim ex fide vivit. Idem ad Bonifac. *L.* 3. *c.* 5. *p.* 194. *Noſtra fides* juſtos ab injuſtis, non operum ſed ipſâ Fidei lege, diſcernit.

Omnis enim Sanitas & Sanctitas provenit à Deo, per Christi quidem mediationem & intercessionem, ita tamen ut instrumentum sanctificationis sit verbum, veritas & Evangelium Christi. *Joann.* 17. 17. Sanctifica eos in veritate tuâ; sermo sive verbum tuum est veritas. (Et *Vers.* 20.) Non pro illis tantum rogo, (i. e. sanctificandis) sed & pro eis qui crediturí sunt per *verbum eorum in me.* 1 *Cor.* 6. 11. Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine (h. e. in fide) Domini nostri Jesu Christi & in Spiritu Dei nostri.

Clamat de Cœlo Jesus ad Paulum in terris, (*Act.* 26. 18) Ad gentes te mitto, aperire oculos eorum, ut convertantur— Ut accipiant remissionem peccatorum & sortem ἐν ἡγιασμένοις, inter eos qui *sanctificantur per fidem quæ est in me.* Aperte asserit Fidem illam quæ est in Jesu, omnes eâ imbutos sanctificare, exclusivè ad aliam fidem quamcunque; constat enim ex ibi dictis, remissionem

missionem peccatorum & vitam æternam per illam solùm fidem attingi posse & obtineri (uti notat D. Milbourne *.) Victoria super Mundum pars est (vel effectus) sanctificationis. Unde autem? Doceat Apostolus, 1 *Joann.* 5. 4. Hæc est victoria quæ vincit Mundum, Fides *nostra.* Quæ autem & qualis fides, porro explicat commate quinto, Quis est qui vicit Mundum, nisi qui *credit quod Jesus* est Filius Dei. Amor etiam est pars sanctificationis. Ubi verò aut unde? *Joan.* 8. 42. Si Deus Pater vester esset, diligeretis utique me (inquit Jesus.) 1 *Joann.* 5. 1. Omnis qui diligit eum qui genuit, (i. e. Patrem,) diligit etiam eum qui natus sive genitus est, (i. e. Filium.) Adeò indivulsus est ab amore Dei, amor Christi; sine cujus amore, omnis anima sub maledicto jacet, 1 *Cor.* 16. 22. Siquis non amat Dominum nostrum *Jesum* Christum, sit anathema Maranatha. Quæro hîc de tuis Ethnicis extra-evangelium de gen-

* In vindiciis mysteriorum in relig. p. 405.

tibus, An amant Jesum (quem scilicet ignorant?) Si non, quomodo ergò benedicti? Quomodo non maledicti? Ipse D. Baxterus in confessione fidei suæ, (*P.* 97.) hæc habet verba, Amor & resipiscentia, quamvis sint necessariæ, insufficientes sunt æque ac impossibiles, *sine Fide in Christo*; adeo ut *fides in Christo*, sit illa pars conditionis quæ Christo capiti proxime est contigua, datque vitam cæteris. [Hæc olim D. B. sed nunc —— quantùm mutatus ab illo.]

(6.) Sextò, Omnes beandos. Uti constat ex *Psal.* 2. Ubi agitur, de Christo, de uncto Dei, (*Vers.* 2.) De Filio & Genito Dei, (*Vers.* 7.) De Rege Dei super Sion exaltato, & regnante (inter Ethnicos) ad extremitates terræ, (*Vers.* 6, 8.) Secundò, Agitur de fide, eâque Evangelicâ, terminatâ in hunc Christum & Filium & regem Dei, (*Vers.* 12.) Osculemini filium, hoc est osculo fidei & obsequii, agnitionis & subjectionis.) Agitur tertiò, De omnibus

bus Beandis & Perdendis; eodem commate 12. Beati omnes οἱ πεποιθότες, omnes qui confidunt *in eo*, i. e. Qui taliter ſperant & credunt in hunc Dei Chriſtum, Filium & Regem. *Vatablus*, Beati qui fiduciam ſuam in Chriſto collocant, Salutem ab eo expectantes. E contra verò de cæteris omnibus (horum fide deſtitutis) dicitur quod peribunt de viâ, vel propter viam, h. e. propter eorum vivendi modum. (Vatablus.

(7.) Septimò, Omnes ſalvandos. Salvandi enim ſunt de corpore Chriſti, nam ipſe eſt Salvator corporis ſui, (*Eph.* 4. 23.) Corpus autem Chriſti eſt unum & unicum, via etiam quâ fiunt membra hujus corporis, una eſt. *Eph.* 4. 4. Unum corpus, una fides, unum Baptiſma. (Vide Auguſtinum ſupra, *p.* 132.) 1 *Cor.* 12. 13. In uno Spiritu omnes baptizamur in unum corpus. Qui igitur ſunt extra baptiſmum, extra fidem baptiſmalem, ſunt extra corpus Chriſti, adeóque foris & extra ſa-

salutem. An fortè geminum corpus (mysticum) habet noster Jesus? Vel geminum modum incorporandi sive inferendi in hoc corpus? Nugæ. Progredior ad locum Apostoli, in 1 *Tim. c.* 2. 4. Deus vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire, i. e. veniendo ad agnitionem veritatis. Nulla salus, sine agnitione veritatis. At cujus veritatis? Nisi Apostolicæ, Christianæ, Evangelicæ? (quæ multoties in scriptis Apostolicis & Evangelicis, immò & psalmographi, *Psal.* 45. 4. vocatur κατ' ἐξοχὴν, ἀλήθεια;) veritatis quæ est in Jesu Christo, (*Eph.* 4 21. Sicut veritas est in Jesu; non in Mose, multo minus in naturâ, vel in characteribus providentiæ; sed veritas in Jesu,) h. e. fides & veritas unius Dei & unius Mediatoris, uti sequitur statim in *Versu* 5. illius capitis secundi ad Timotheum. Prout etiam notat S. Augustinus, *Ep. ad Dardan.* (*Ep.* 57. *p.* 182.) post citatum hoc dictum (Qui vult omnes salvari &

in

in agnitionem veritatis venire) ſtatim ſubjungit, Et ne quiſquam diceret, poſſe eſſe ſalutis viam, in bonâ conſcientiâ, & unius Dei omnipotentis cultu, ſine participatione ſanguinis Chriſti: (Ideò) unus (inquit Apoſtolus) eſt Deus, & *unus Mediator* Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus. Pergo ad locum, *Rom.* 10. Ubi, oſtenſo quod Chriſtus ſit Finis legis, ad juſtitiam omni credenti, (i. e. omni & ſoli,) juſtitiam fidei explicat, *Verſ.* 8, 9. Extorquens è manibus Judæorum verba Moſis (inquit Thorndicius, *Epilog. L.* 3. *p.* 314.) ad ſtabiliendum Evangelium; Dein verbum fidei ſalvantis & juſtificantis, quod & quale ſit, enarrat, *Verſ.* 8, 9. Hoc eſt verbum *fidei quod nos prædicamus*, ſcilicet, Confiteri (ut ſequitur, *Verſ.* 9.) in ore tuo Dominum *Jeſum* & credere in corde tuo, quod Deus illum ſuſcitavit è mortuis; (hoc ſi feceris) ſalvus eris. Neque hic ſiſtit ſed eodem pergit tenore, *Verſ.* 11. Omnis quicunque credit

in

in illum, non confundetur; omnis, sive Judæus sive Græcus, (*Vers.* 12.) Et *Vers.* 13. Omnis quicunque invocat nomen Domini salvabitur. Cujus Domini, nisi modo dicti (*Vers.* 9.) Domini Jesu? Adeò ut extra hujus fidem, nil nisi confusio (*Vers.* 11.) extra hujus Domini invocationem & confessionem nulla * salus (*Vers.* 9, 13.) Quid planiùs, quid pleniùs his dictis, nisi sint incassùm dicta?

* Vide Sententiam *Jos. Hall Episc. Exon. ad Duræum*, p. 167. Ubi inter concessa & indubitanda ponit.— (Secundò,) Neminem à Deo electum salvandumq; esse, qui non idem credit in Jesum Christum, inque fide hâc perseverat.

In duobus salvatorum exemplis, hic instare libet, quæ maxime faciunt ad rem præsentem; in Timotheo & Cornelio. De Timotheo dicitur, 2 *Tim.* 3. 15. Ab infantiâ nôsti sacras literas quæ te possent σοφίσαι, instruere vel sapientem reddere ad salutem (statim verò subjungit) per *fidem* quæ est in *Jesu* Christo. Si instructio veteris testamenti

menti (quæ docet, de ſemine venturo) nunc non valet ad ſalutem, ſine fide quæ eſt in *Jeſu Chriſto*; quantò minus doctrina aliundè hauſta, ab elementis Mundi vel ab operibus providentiæ? Cur autem addit Apoſtolus [per fidem quæ eſt in *Jeſu*] niſi ut doceret, quod non ſufficerit jam ad ſalutem fides confuſa aut generalis in Semen venturum, niſi accederet Fides in Jeſum, in hunc Chriſtum in individuo. Adeóque rectè notat Hookerus noſter (*Eccl. Polit. L.* 1. *p.* 43.) quod ſine doctrinâ Novi Teſtamenti (narrantis quod Chriſtus peregit Mundi redemptionem, quam præoſtendit vetus fore à Chriſto peragendam) prior illa (h. e. cognitio veteris Teſtamenti) non jam ſufficit aut ſatis eſt; neque locum habent illa elogia veteris Teſtamenti, niſi ex hypotheſi quod novum recipiatur. De ſecundo, i. e. de Cornelio legimus, quod pro gradu ſuo (i. e. quatenùs σεβόμενος, h. e. (ut Medus noſter) quatenus erat proſelyta, portæ ſcilicet

licet licet non justitiæ) fuerit vir religiosus, timens Deum, precibus deditus & eleemosynis, & hactenus à Deo acceptus; non simpliciter (uti docet nos distinguere D. Baxterus, in documentis sive directionibus ad pacem, *P.* 60.) sed in certum & particularem finem, scilicet ad assequendam à Deo ulteriorem & salutarem Christi cognitionem (uti etiam docet Chillingworthus, *P.* 134.) Quid enim? An nihil defuit Cornelio ad salutem? Oppositum testatur Angelus, idque disertis verbis, *Act.* 11. 13, 14. Accersi Simonem, qui cognominatur Petrus, qui loquetur tibi verba, quibus *Salvus eris Tu* & universa domus Tua. Ad quem locum sic commentatur Grotius; post missum Christum, *voluit* Deus aliam esse viam salutis, quàm per illius cognitionem: Ideò Cornelium in illo statu Noachidarum non reliquit.

§. 2. Supersunt alia jam scripturæ loca (à methodistâ nostro ferè in-

intacta) quæ penſiculatiùs conſideranda ſunt, & particulariùs urgenda.

Primò, nobis occurrit caput Joannis Evangelii tertium, ubi univerſim dicitur, *Verſ.* 18. Qui credit in eum, (i. e. filium, *Verſ.* 17.) non judicabitur; qui autem non credit, jam judicatus eſt, quia non credit in nomen unigeniti filii Dei. Adde etiam verba Baptiſtæ, *Verſ.* 36. Qui credit in filium, habent vitam æternam: Qui autem non credit in Filium, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. *Aug. c. Julian. Pel. L. 6. c.* 12. *p.* 246. (& eadem habet in Enchiridio, *p.* 33.) Non dicit veniet, ſed manet (remanet, perſeverat) ſuper eum: Ira Dei ſcilicet, ira maledictionis ex veteri ſententiâ comminationis jam olim latâ; cum quâ irâ omnis homo naſcitur. Sed redeo ad textum. Quis ille eſt in quem credendum (ut unicum miſeriæ remedium) obligantur omnes ſub pœnâ damni & exitii æterni? Quis, niſi ille ante

quem

quem missus est præcursor, (*Vers.* 28.) Ille qui de sursùm, de cœlo venit, (*Vers.* 31.) Ille quem misit Deus, (*Vers.* 34.) Ille filius Dei & unigenitus, (*Vers.* 36, & 18.) In hunc Missum, & Filium & unigenitum, quisquis non credit, non videbit vitam, sed Ira Dei, quam contraxit per peccata, manet super eum. Non dicit, Μένει ἀυτὸν, ἀλλ' ἐπ' ἀυτὸν, (inquit *Theophyl. p.* 605.) δεικνὺς ὅτι μηδέποτε ἀυτῷ ἀποκάσεται· ἵνα μὴ, ἀκέσας, δεινότερον τοῦτον νοήσῃς.

Locus Secundus *Joann.* 5. 23. Ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem: Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit eum. En, Pater ipse non honoratur, nisi per Filium honoratum. Quo autem honore, nisi fide & cultu? Fide primùm, dein invocatione, (*Rom.* 10. 9, 11, 13.) Inseparabilis est à Dei honore, honor Christi (inquit Hilarius de Trinit. *L.* 9. *p.* 160. Idem *L.* 5. *p.* 46.) Non potest Deus nisi per Deum intelligi, sicut nec honorem à nobis,

nobis, niſi per Deum accipit, *Lactant. L.* 4. *c.* 29. Non poteſt ille ſummus & ſingularis Deus, niſi per Filium, coli, qui ſolum Patrem colere ſe putat, ſicut Filium non colit, ita ne Patrem quidem colit. — Hic autem (i. e. Filius) templi magni Janua eſt, Hic lucis via, Hic dux ſalutis, Hic oſtium vitæ. Athanaſius *Orat.* 3. *contra Arrian.* (citatur à Launoio, *p.* 812.) Ità quoque Ethnici, quanqaam Deum habent in ore, impietatis crimini ſubjiciuntur, eò quòd verum Deum non agnoſcant, Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Melancht. de Invocat. & Precat. p.* 593. (& alibi, *p.* 426.) Invocant Turcæ Deum, ſed nolunt hunc eſſe verum Deum qui dedit nobis hoc verbum, nec aſſentiuntur Chriſtum eſſe Filium Dei, aberrant ergò à vero ſicut Chriſtus clarè inquit, Qui non honorat Filium, non honorat Patrem; nec vult Deus aliter agnoſci, quàm ut ſeſe ſuo verbo & per Filium patefecit; ideò toties jam diximus,

nullam Ecclesiam electorum cogitandam esse, nisi in cœtu vocato (vel vocatorum,) ubi verè sonat Evangelium.

Locus tertius, *Joann.* 8. 24. Nisi credideritis quod ego Is sum, moriemini in peccatis vestris. Perpende verba *. Neque enim dicit, nisi credideritis in Messiam, sed, nisi credideritis quod *Is ego sum*; neque dicit, *Nisi, &c.* Peccabitis contra debitum officii, sed, *moriemini* in peccatis vestris, in æternum peribitis. Quomodo verò certò peribunt, quibus adest fœdus gratiæ universalis veniam & vitam offerens, sine intuitu in Christum? Præsertim, si major ille fidei gradus, post Christi adventum, non sit necessarius necessitate Medii (quod plus quàm innuere videtur methodista, *Part.* 2. *p.* 431. *n.* 23.) Si enim non sit necessarius, ut conditio salutis; non erat necessariò verum, quod more-

* *Theophyl. in locum, p.* 680. Cum enim, propter hoc venerit in Mundum Christus, ut tollat peccatum Mundi, haud aliter remissionem peccatorum accipere possumus nisi per baptismum. Impossibile autem est, baptizari eum, qui non credidit.

morerentur in peccatis ſuis, ſolum ob defectum iſtius gradus. Adeóque nec certa nec vera videbitur hæc ſequela, Niſi credideritis, *&c.* Nam veritas propoſitionis hypotheticæ (atque eadem eſt ratio exceptivæ) non ſtat in veritate vel antecedentis vel conſequentis, ſed in utriuſque nexu vero, certo & neceſſario, uti omnis docet Logica.

Locus Quartus *Jonnn.*20.31. Hæc ſcripta ſunt ut credatis quod Jeſus eſt Chriſtus, Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis æternam in nomine ejus. Dicta, facta & miracula Chriſti, in hunc finem, docet eſſe ſcripto conſignata, ut crederent Jeſum eſſe Chriſtum, eſſe Meſſiam illum, olim promiſſum & per tot ſæcula prænunciatum & expectatum. At quid opus eſt hâc fide particulari in Jeſum, cum ſufficere poterat fides in Meſſiam in genere? Immò verò opus eſt & maxime opus eſt, ſcilicet ut credentes vitam habeamus in nomine ejus. Quid

expressius, quid disertius ad rem, quàm hæc verba Evangelistæ? Nunquid nos ludit Evangelista; Dicendo hanc fidem, in hunc Jesum (ut Messiam & Dei Filium) esse Medium necessarium, idque in hunc finem, scilicet ad assecutionem vitæ æternæ; cum tamen juxta D. B. sine hâc fide, immò (ut videtur) sine ullâ in Christum fide, aditus pateat ad vitam æternam? Absit ut hoc dicamus vel sentiamus de Evangelistâ.

Locus Quintus 1 *Cor.* 3. 11. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Duo hîc tangit Apostolus, Fundamentum & positionem fundamenti. Cujus autem rei fundamentum? Nisi salutis & doctrinæ salutiferæ (ut *Vers.* 15.) Quem verò, nisi Jesum? Non jam Semen Mulieris in confuso, non Messiam in genere, sed hunc Christum Jesum in particulari. Qui non ponit Jesum, non ponit *hoc* fundamentum. Qui Christum ponit

&

& non Jeſum, non idem ponit quod hîc nominatur ut fundamentum (niſi geminum detur fundamentum;) Immò ne Chriſtum quidem; Chriſtus enim non dividitur, non disjungitur à Jeſu. Quomodo verò ponitur hoc unum & unicum fundamentum? Niſi per prædicationem Evangelii, ex parte docentium, & per fidem in Jeſum, ex parte diſcentium? *Aug. de octo Dulcitii quæſtionibus, p.* 152. Apertè dictum eſt, Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Jeſus Chriſtus: Si autem Chriſtus, proculdubio (inquit) fides Chriſti, per fidem enim Chriſtus habitat in cordibus. (Eadem habet in *L. de fide & operibus, c.* 16.) *Theophylactus, in Matth.* 16. *p.* 93. Ἐπεὶ γὰρ ὡμολόγησεν αὐτὸν τὸν Θεὸν ὁ Πέτρος, φησὶν, ὅτι αὕτη ἡ ὁμολογία ἦν ὡμολόγησας, θεμέλιον μέλλῃ εἶναι πολλῶν πιστευόντων, ὥστε πάντας ἄνθρωπον μέλλοντας κτίζειν ἐπὶ τῆς πίστεως οἶκον, πρῶτον τὴν ὁμολογίαν ὑποτιθέναι θεμέλιον· κἂν γὰρ μυρίαι ἀρε-

τὰς κτίζωμεν, μὴ ἔχωμεν ὃ θεμέλιον, ἢ ὀρθὴν ὁμολογίαν, σαθρὰ κτίζομεν. i. e. Quia autem confessus erat eum Filium Dei Petrus, dixit, quod hæc confessio quam confessus est, fundamentum erit futurum credentium; ita ut omnis homo extructurus fidei domum, hoc jacturus sit fundamentum. Nam licet innumeras condamus virtutes, non habeamus autem fundamentum, rectam confessionem, inutiliter ædificamus. *Prosper. contra Collatorem, c.* 29. Igitur secundùm istum, anima humana sic ædificatur in Dei templum, ut non accipiat fundamentum, præter quod aliud nemo potest ponere, quod est Jesus Christus. Quando autem hoc fundamentum incipitur, nisi quando fides in Audientis corde generatur? Huic loco congeneris naturæ est illud Apostoli, ad *Ephes. c.* 2. 20, 21. Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Jesu Christo, in quo omnis ædificatio constructa crescit

in

in templum ſanctum in Domino. Πᾶσα οἰκοδομὴ (inquit *Zanchius*, *p.* 77.) vel ſumitur pro Toto ædificio, vel pro quovis lapide qui ſuperſtruitur, ſeu pro quâvis parte ædificii. Quaſi dicat, quicquid ſuper hoc fundamentum ſuperſtruitur, creſcit in Templum Dei. Hoc (inquit) mihi magis placet; & ſenſus eſt, quicquid ſuperſtruitur fundamento Chriſto. —— Illud & vitam & incrementum accipit à Jeſu Chriſto, idque in hunc finem, ut fiat Templum Dei, in quo Deus regnet. Chriſtus, ut expectatus, erat ſpes Iſraelis; ita exhibitus, ſit lapis jam angularis, utriuſque muri & lateris totius Eccleſiæ, Judaicæ & Gentilis; cujus jam una eſt Fides, unum baptiſma. Qui huic Jeſu non inædificatur, is extra ædificium, extra Dei Templum eſt & domum.

Locus Sextus 1 *Joann.* 5. 11. Hoc eſt teſtimonium, quod vitam æternam dedit nobis Deus: Et hæc vita eſt in filio ejus, quorum verbo-

rum (inquit D. Patrick nunc Reverendus Epiſc. Elienſis, in Teſtibus Chriſtianiſmi) ex parte hic ſenſus eſt, quod ſolâ religione, quam Chriſtus docuit, in poſſeſſionem tam ingentis boni devenimus. Hæc autem vita eſt in Filio; nullibi poſita aut repoſita eſt niſi in Filio ejus; nobis autem communicatur, habendo Filium, i. e. non niſi credendo in hunc Filium, (*Verſ.* 13.) Cui ſoli ineſt hæc vita. Ideóque pergit Apoſtolus & inde quaſi infert, (*Verſ.* 12.) Qui habet Filium, habet vitam; qui non habet filium, non habet vitam. Quid hæc aliud ſibi volunt, quàm quòd ſicut is qui credit in Filium, vitam aſſequitur in Filio quaſi incluſam; ita qui manu fidei caret, qui Filium per fidem non amplectitur, is neque cum vitâ æternâ quicquam commercii habet aut conſortii. Quid enim eſt habere Filium, niſi Filium cognoſcere & agnoſcere? Habere fidem & doctrinam ejus? (2 *Joann.* 9. 10.) Habere, apud Joannem, eſt noſſe & credere;

credere; ſicut non habere, eſt neſcire, ignorare, (2 *Joann.* 9. 1 *Joann.* 2. 23.) Qui negat Filium, Patrem non habet, i. e. non novit. Nam Deus hoc tempore (inquit Grotius in locum) non noſcitur niſi per Filium, ut olim per Moſen. Ipſe D. Baxterus (in confeſſione fidei) ex his verbis, (1 *Joann.* 5. 12.) Expreſsè notat primò, quod ſatis perſpicue hinc inſinuatur *credentes* habere Filium, *non-credentes* non habere; ideóque dicuntur illi, teſtimonium Dei habere in ſeipſis, hi verò, Deum facere mendacem (ut *Joann.* 3.) Notat etiam tertiò, quod quicunque Filium non receperunt per fidem, ii non (i. e. nondum) habent vitam, quamvis fortaſsè electi ad vitam.

§. 3. Venio tandem ad ea ſcripturæ loca, quorum vim & ictum eludere conatur D. B. numero præcipuè quinque (cætera enim non ſunt tanti, ut urgeantur.)

Locus

Locus Primus ad *Epheſ. c.* 2. 11, 12. Eratis aliquando Gentes in carne —— ſine Chriſto alieni à republicâ Iſraelis, hoſpites teſtamentorum, promiſſionis, ſpem non habentes & ſine Deo in Mundo. Sine Chriſto.] i. e. Sine Chriſti cognitione, lege, gratiâ, religione. Meritò à Chriſto auſpicatur (inquit Beza) tanquam omnium promiſſionum ſcopo; omnium bonorum fundamento, (inquit Zanchius.) Alieni à republicâ Iſraelis.] Non tam loquitur de civili politeia, quàm de Eccleſiaſticâ, (inquit J. Crocius.) Extranei à pactis vel teſtamentis.] Hæc enim erant depoſita apud Judæos, ut Judæorum peculium, (*Rom.* 3. *ver.* 2. *Rom.* 9. 4.) Nihil horum pertinebat ad Gentes, (J. Crocius,) utpote deſtitutas Mediis, verbo & vocatione divinâ, (Zanchius.) Cum Iſraele nihil illis commune erat, in iis quæ ad religionem ſpectant, (idem Zanch.) Promiſſionis ſpem non habentes.] Meſſiæ venturi ſpem nullam habentes, (Eſtius.) Nihil, ne per umbram audientes,

audientes, (Menochius;) vel ſpem veniæ & ſalutis, ſpem remiſſionis vel reſurrectionis & vitæ æternæ (ut *Eph.* 4. 18. Ita Zanchius & Grotius.) Spem meritò conjungit promiſſionibus de Chriſto, ſine quibus fruſtra ſperant homines,(Beza.)Spem veram & vivam non habentes, quia Chriſtum & promiſſionem non habebant. Chriſtus enim ſpes noſtra, 1 *Tim.* 1. 1. In Chriſto ad ſpem vivam regignimur, 1 *Pet.* 1. 3. Spes autem non eſt ſolida ſine fide, fides non vera abſque verbo, (J. Crocius.) Sine Deo.] Sine notitiâ & cultu, (Eſtius & Zanch.) Sine Deo propitio, Deum negligentes & à Deo neglecti, (Zanch.) Sine vero Deo agnito, culto & propitio, (J. Crocius.) Non negat, quin Gentiles fuerint creati à Deo & ab illo regerentur, omniaque ab illo haberent bona (quo ſenſu, non longè eſt ab unoquoque noſtrum, *Act.* 17.) Sed negat eos verum Deum habuiſſe, i. e. cognoviſſe, coluiſſe, propitium habuiſſe, (Zanch.) *Verſ.* 13. Eratis pro-

procul.] Procul à cognitione veri Dei & à spe vitæ cœlestis, (*Grot. Zanch. Menoch. Dieu.*) Longè.] Fœderis potissimùm respectu, (Jo. Crocius.) Longè à fœdere, utpote qui nihil commune habuere cum populo Dei, (Ravanella.) En hîc in Ephesiis depingitur communis Gentilium status & sors miserrima! Scilicet quod quamvis imbuti mediis creationis & Providentiæ, omnibusque rationis subsidiis, ut inde, quod poterant, per lumen rationis colligerent; dicuntur tamen esse sine Christo, sine promissione, sine spe, sine Deo.

Quid ad hæc D. Baxterus? Agnoscit, (*Part.* 3. *p.* 24.) Gentiles fuisse Filios iræ, immò duplicis iræ, concedit alienos fuisse à favore divino, alienos à fœdere promissionum, quia scilicet fœdus particulare ipsis neque factum, neque benè notum fuit; immò fœdus gratiæ universalis initialis, ejusque promissiones ipsis plerunque vix probe notas fuisse; ideóque sine spe Israelitis pe-

peculiari, & plerumque ſine ſpe, per fœdus initiale datâ; excidiſſe etiam à fœderis gratiâ, clarâ notitiâ, à jure ad Spiritum Sanctum, & beneficiis fœderis ſpecialibus. Quid igitur excipit aut negat? Aut quid tandem reſpondet? Primò, negat fœdus illud primæ editionis totaliter ipſis ceſſaſſe (de quo, in ſupradictis & ſcriptis, ſatis actum eſt.) Secundò, videtur negare, eos fuiſſe ſine omni ſpe, ſed tantum ſine ſpe Iſraelitarum peculiari (neque tamen explicat quænam erat illa ſpes peculiaris, *diſtincta* à fœdere gratiæ.) Hanc verò diſtinctionem, Apoſtolus (ut videtur) minimè præſentiebat. Simpliciter enim & ſine diſtinctione pronunciat, de omnibus (diviſim vel conjunctim ſumtis) quod fuerint ſine ſpe. Utri igitur credendum, Baxtero an Apoſtolo? Neque ſatis meminit D. B. illius quod alibi docet, (*Part.* 2. *p.* 412.) Scilicet quod maxima pars fœderis Abramici & Iſraelitici, fuit fœdus gratiæ initialis, cui fœdus par-

particularitatis (uti vocat) erat tantùm appendix quædam & additamentum; dicit enim quod circumcisio, non hujus solius (i. e. fœderis peculiaris, Abramici & Israelitici) sed etiam fœderis gratiæ communis, erat sigillum; Immò —— quod fœdus peculiaritatis, nihil est sine fœdere gratiæ communis, cujus est additamentum. Unde sequitur, quod si Gentiles alieni erant à politiâ Israelis atque à pactis & promissione, erant etiam alieni à fœdere gratiæ communis, adeóque extra omnem spem, quoad præsentem statum. Sed tertiò, etiam respondere videtur, Apostolum, (*Eph.* 2. 12.) Non loqui de privatis Gentilibus, sed de publicis Gentium societatibus, ut reipublicæ Israeliticæ comparatis, quoniam (inquit) nulla per terrarum orbem respublica nota erat, quæ cum Deo, sicut Israelitæ, publicè & specialiter fuit fœderata. Egregia verò interpretatio, quæ Apostolum ludentem facit & nugantem potius quàm seriò do-

docentem, vel ſtrictè differentem. Quid enim annon Apoſtolus id agit toto hoc textu, ſcilicet ut *diſcriminet* ſtatum Gentilium à ſtatu Fidelium. At verò ſi ideò alieni dicuntur Gentiles à politiâ Iſraelis & à pactis promiſſionis, quia nulla erat inter eos reſpublica, ſpecialiter & publicè fœderata cum Deo; parili ratione ipſi etiam credentes Alieni erant; neque enim per ter centum annos ulla erat credentium civitas aut reſpublica cum Deo fœderata. Adeóque in auras evaneſcit expoſitio & reſponſio Baxteriana. Liceat autem in illius locum & vicem ſubſtituere Theophylacti expoſitionem (in locum.) Οὐκ εἶπε κεχωρισμένοι, ἀλλ' ἀπηλλοτριωμένοι· ἐπεὶ καὶ οἱ Ἰσραηλῖται, τῷ νομικῷ καὶ κατ' αὐτὸν Θεῖον πολιτείας, ἦσαν ἔκτος· ἀλλ' οὐχ ὡς ἀλλότριοι, ἀλλ' ὡς ῥᾳθυμοῦντες. i. e. Non dixit ſegregati, ſed alienati: Quandoquidem etiam Iſraelitæ, extra legalem adeóque divinam vitam erant; ſed non tanquam alieni, ſed tanquam ſocordes. Idem in verba

ba καὶ ξένοι τῶν διαθηκῶν· Καὶ τοῦτο (inquit) μέγας χωρισμός· Οὐκ εἶπε γάρ, ὅτι οἱ προσέχοντες τὰς διαθήκας, ἀλλὰ πάντῃ ξένοι. i. e. Hæc etiam magna est separatio; Non enim dicit, non-attendentes Testamentis, sed omnino hospites & peregrini: Etsi enim Israelitæ exciderunt à promissionibus, tamen non ut hospites & peregrini.

Addere etiam hîc liceat, quædam è Zanchio, accommodatiora ad genuinum Apostoli sensum; sic enim ille, in *Comment. in Ephes.* 2. 12. Clarissimum est Ethnicos in statu fuisse remotissimæ longinquitatis à Deo, *Vers.* 13. Eratis longè. *Vers.* 17. Vobis qui longe fuistis. *Vers.* 19. Hospites & peregrini. Qui status, quamdiù duravit, *omnem* prorsus spem resecavit. (Idem porrò ait) Magis autem procul fuisse Gentiles à Deo, eóque in statu miserabiliori, quàm fuerint Judæi, idque hinc demonstrat, quia quoad *externa* quod attinet (nam *internè*, omnes ex æquo fuisse filios iræ & contumaciæ, supe-

ſuperiori capite demonſtratum eſt, ſcilicet, *Eph.* 2. 1, 2, 3.) Quia verò externa quod attinet, Judæi habebant fœdus cum Deo, habebant promiſſionem de Chriſto ſervatore, habebant oracula Dei, ſacraſque literas & ſacramenta, eóque erant Eccleſia Dei. Gentiles verò erant ſine Chriſto, ſine promiſſione, ſine Deo in Mundo. Hinc concludit Apoſtolus Judæos fuiſſe propinquos, Gentiles verò longinquos à Deo & ſalute. (Idem pergit —) Promiſſio Dei, de quâ hîc agitur, fuit, Ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te fœdere ſempiterno —— Hæc promiſſio eadem ſemp erfuit ab orbe condito; ac proinde in ſingulari, unam vocat ἐπαγγελίαν. —— Conditiones eædem, ſed pro diverſitate temporum, in accidentibus fuerunt variatæ — Atque hoc ſibi vult Apoſtolus, quum unam promiſſionem nominavit, ſed plura pacta.— Ab iis extranei erant Epheſii. Quare? Quia extra Eccleſiam erant, in quâ ſolâ Sacræ Literæ con-

tinebantur, & prædicabantur. Quid hinc sequebatur ? Aliud ingens malum, scilicet nullam spem poterant habere, vel remissionis peccatorum, vel vitæ æternæ ; ratio est, quia spes innititur fidei, fides autem verbo Dei.

Ideóque [spem non habentes] meritò interpretatur Zanchius, non de actu spei sed de fulcro & fundamento spei. Spem non habentes, i. e. non veram aut firmam, veritatique divini verbi nitentem. Alioquin (inquit) Gentiles lactabantur spebus, à suis sacerdotibus, sed spebus vanis & inanibus, & falsis. Hæc omnia Zanchii liquidè fluunt & dilucidé.

Non est hîc prætereundum glossema Theologi non in-celebris, in hunc locum ad *Ephes. c.* 2. 12. Scilicet, Gentes ideò sine Christo esse dictos, eò quod nullæ promissiones de Christo illis sint factæ. At verò, hoc miseriam statûs Gentilis nullatenus minuit aut emollit. Nam juxta Apostolum, Ita fuere sine Chri-

Christo, ut etiam fuerint sine spe, sine Deo. Et reverà, si caruerint promissionibus de Christo (unico salutis procuratore, & peccati remedio, in quo omnes Dei promissiones sunt ναὶ καὶ ἀμὴν, i. e. datæ & ratæ, 2 *Cor.* 1. 20.) quomodo non fuêre sine spe (vivâ nempe & vividâ?) Quomodo non sine Deo (propitio scilicet, & ritè culto?) Quomodo beneficium salutis à Christo partum, iis applicari dicitur, quibus nullæ promissiones de Salvatore, aut factæ sunt aut patefactæ?

Quod verò addit idem Author, Apostolum hic loqui de Gentibus, non *secundùm* sed *contrà* legem naturæ viventibus, & secundùm desideria cordis sui ambulantibus, adeóque his quidem (fatetur) nullum beneficium per Christum impetratum applicari. Respondeo primò, Cum status Gentilium ubique in scripturis, ut omnino degener & deploratus, generaliter repræsentetur, (*Psal.* 79. 6. *Psal.* 147. 20. *Jer.*

10. 25. *Act.* 14. 16, 17, 30. 1 *Cor.* 12. 2. 1 *Thess.* 4. 5.) Etiam in iis qui erant φάσκοντες σοφοὶ, (*Rom.* 1. 21, 22. 1 *Cor.* 1. 20, 21. *c.* 2. 14.) Gratis & frustra vir Doctus quosdam excipit è numero; frustra distinguit, ubi Lex & Scriptura non distinguit. Resp. Secundò, Probetur ullos fuisse inter Ethnicos, qui usque ad legem naturæ assurgebant. Id quod negare videtur Apostolus, (*Rom. c.* 1. *&* *c.* 2.) cum ex hoc supposito probat, neminem per legem naturæ justificari; eò quòd defecerint à lege naturæ. Et alibi in universum de illis pronunciat, quod dimissi fuerint, ingredi vias suas, *Act.* 14. 16. Id est in spissis ignorantiæ tenebris, uti patet ex loco huic parallello, (*Act.* 17. 30.) Resp. Tertiò, ostendatur, salutem à Christo partam, applicari, viventibus merè secundùm legem naturæ, sine omni prorsus fide in Verbum Dei revelatum. Cui reclamant veteres & novi. *Justin. M. ad Diognetum*, p. 499. Ἀνθρώπων δὲ εἰς ὅτε εἴδεν ὅτε ἐγνώρισεν, (sci-

(ſcilicet Θεὸν,) ἀυτὸς δ' ἑαυτὸν ἐπέδειξεν, ἐπέδειξε δὲ διὰ πίστεως· ἡ μόνη Θεὸν ἰδεῖν συγκεχώρηται· i. e. Non hominum quiſquam vidit Deum, neque aliquam ipſius notitiam habuit: Sed ipſe ſeipſum oſtendit. Oſtendit autem per fidem; *cui ſoli* Deum videre conceſſum eſt. Idem *Juſtinus*, *Epiſt. ad Zenam*, Τὸ γὰρ ἐπὶ κατὰ φύσιν βιῶναι, οὐδέπω πεπιστευμένοις ἔοικεν. i. e. Vivere ſecundùm naturam eſt nondum credentis. De piis antiquis teſtatur *S. Aug.* (*Ser.* 16. *de Verb. Apoſtol.*) in & ſub lege morali viventes, ſalutem nonnulli ſunt adepti, non tamen ex vi Legis naturalis. Cui etiam concinit Rev. noſter Thorndicius, (*Epilog. L.* 2. *c.* 9. *p.* 53. & *p.* 58.) Salvabantur (inquit) per *prædicationem fidei*, ſub lege naturæ. In hunc ſenſum, è loco Apoſtoli (*ad Gal. c.* 2. 21.) ſic differit Auguſtinus, (*de Grat. & Lib. Arb. p.* 157.) Si hoc ille dixit de Lege quam accepit Gens Judæorum, multò juſtiùs dicitur de Lege naturæ, quam accepit univerſum ge-

nus humanum; (ſcilicet) ſi per naturam Juſtitia, ergò Chriſtus gratis mortuus eſt. *Idem ibidem, c.* 13. *p.* 283. Si ex lege juſtitia, Chriſtus gratis mortuus eſt; ſic & veriſſimè dicitur, ſi ex naturâ juſtitia eſt, ergò gratis Chriſtus mortuus eſt. Jam enim hîc erat Lex, & non juſtificabat; jam hîc erat natura, & non juſtificabat; ideò Chriſtus non gratis mortuus eſt. Vide etiam *Davenantii Diſſertat. de morte Chriſti, c.* 6. *p.* 69. *&* *p.* 70, 71.

Locus Secundus. Tranſeo verò ad alia Loca, à D. B. examinata; ſcilicet ad *Act. c.* 4. 12. Non eſt in alio ſalus, neque enim aliud nomen eſt ſub Cœlo datum, quo oporteat nos ſalvari. Rectè (inquit D. B. *Part.* 3. *p.* 23.) Non alter eſt Mediator, non alter Meſſias, non aliud pro peccatis ſacrificium —— at verò, etiam qui Evangelium nunquam audivere per idem nomen, i. e. per eundem Mediatorem, Salvari poſſunt, *ſine fide, vel notitiâ* ejus Incarnationis, *&c.* Quaſi verò nomen

Jeſu

Jeſu non hîc complexim ſumatur, ità ut includat fidem in Jeſu, quaſi non urgeatur (à Petro contra Judæos) ut connotans fidem in hoc * nomine. In hunc modum intellexit S. Auguſtinus (ad *Optatum Ep.* 152. *p.* 457.) Proinde (inquit) cum omnes veraces Dei cultores ſive ante incarnationem ſive poſt incarnationem Chriſti, nec vixerint nec vivant, *niſi ex fide* (N. B.) Incarnationis Chriſti, in quo eſt gratiæ plenitudo, profectò, quod ſcriptum eſt, *Act.* 4. 12. Non eſt aliud nomen ſub Cœlo in quo oporteat nos ſalvari, ex eo tempore valet ad ſalvandum genus humanum ex quo in Adam, vitiatum eſt genus humanum. Eneotericis etiam Bartholomæus Petri (citatus à Calovio:) Hinc (inquit) patet quod vita æterna ab hominibus ſic per Dei Filium habetur, ut ſine eo ac *Fide in ipſum* haberi non poſſit. Hanc etiam fuiſſe men-

* Per hunc ſolum & doctrinam ejus, fide receptam, ſperanda nunc eſt ab omnibus ſalus, neque enim ulla alia eſt religio—— unde ſalus obtineri poſſit, hanc non amplexantibus. *Hammondus.*

tem ipsius Petri hoc ipso in loco constabit, si modo conferatur, cum dictis Petri, de hoc claudo sanato in nomine Jesu. Uti patet * ex *Act.* 3. 16. In fide nominis ejus, hunc quem vos vidistis & nostis, corroboravit *nomen ejus*, & *fides* quæ est per eum dedit integram sanitatem istam, in conspectu omnium vestrum. Utrumque conjungit, nomen Christi & fidem in Christo, objectum & actum, ut correlata ad se invicem, immò unum pro altero promiscue sumit. Sic etiam alibi, *Luc.* 24. 47. Prædicari in *nomine ejus*, (i. e. in fide ejus) pœnitentiam & remissionem peccatorum, in omnes gentes, 1 *Cor.* 6. 11. Sanctificati estis, justificati estis in nomine Domini Jesu Christi, i. e in fide nominis. *Act.* 10. 43. Remissionem accipere peccatorum, per nomen ejus, omnes qui *credunt* in eum. *Apocalyps.* 2. 13. Tenes *nomen* meum, & non negâsti *fidem* meam. Ubi disertè nomen Christi, sumitur pro religione Christi, pro fide & professione Christi.

* Sic etiam, *Act.* 4. 10. *In nomine Jesu.* i. e. Non aliâ ratione quàm *invocando* nomen Jesu. *Hammondus.*

Locus

Locus Tertius extat in Epiſt. ad *Rom. c.* 10. 14. Omnis quicunque invocaverit nomen Domini (i. e. Domini Jeſu, *Verſ.* 9.) ſalvus erit. Quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, de quo non *audierunt?* Quomodo autem audient ſine prædicante? (Et *Verſu* 17.) fides eſt ex *auditu*, auditus autem per verbum Dei, (Θεȣ̃, vel ut Curcellæus habet, Χριϛȣ̃) per verbum Chriſti. Unde per Soritem quendam ſequitur, quod nulla ſalus ſine invocatione, nulla invocatio ſine fide, nulla fides ſine auditu, nec auditus ſine prædicante *. Reſpondet D. Baxterus, hæc non tam eſſe verba Pauli, quàm objectionem Judæi fidelis. At verò ex conjunctione ἕν, rationali ſive collectivâ, videtur potius illatio quàm objectio.

Curcellæus in notis.

* *Proſper de vitâ contemplativâ, L.* 1. *c.* 19. Si ergò quilibet ſine prædicante non audit, ſine auditu non credit, ſine fide non intelligit, ſine intellectu non benè agit: Verbum fidei prædicandum eſt, ut audiens credat, credens intelligat, intelligens bonum opus perſeveranter exerceat.

Sive

Sive autem sit objectio sive ratiocinatio, sive Apostoli, sive Judæi, certè Apostolus eam admittit, immò amplificat & corroborat, (*Vers.* 16, 17.) Solùm ad ultimam soritis catenam respondet, (*Vers.* 18.) Nunquid non audierunt? Secundò, Autem respondet D. B. distinguendo prædicationem in duplicem vel triplicem. Alia scilicet est per Evangelium, alia per Traditionem (ut opinor) Adamicam vel Noachicam; & quia hanc inter Gentiles diu & penitùs defecisse novit. Addit insuper, [Vel per providentiam divinam] sic enim se habent verba, *Part.* 3. *p.* 24. 'Sine prædicatione '(inquit) Evangelii, nemo credit 'in Christum incarnatum! Et sine 'Traditione, vel *prædicatione providentiæ divinæ* misericordiam con'donantem & liberantem peccato'ribus exhibentis, nemo *credit in* '*Christum* juxta tenorem fœderis 'gratiæ initialis. Resp. Quid hoc sibi vult, *Credere scilicet in Christum* per

per prædicationem providentiæ? Non capio quomodo quis credat in Christum per contemplationem providentiæ, distinctam & divisam à Traditione. Esto enim (ut hoc in præsens concedam) esto quod regimen providentiæ, aliquid de misericordiâ Dei condonante & liberante, patefaciat: At verò sepositâ traditione, quicquamne est, quod nuda Dei providentia nos docet aut instruit de Christo, de Mediatore, de Messiâ promisso, ut inde dicamur credere in Christum? Quod igitur addis hoc fieri per prædicationem providentiæ divinæ, i. e. ministratam per opera & φαινόμενα providentiæ —— θάμβος μ' ἔχει εἰσορόωντα. Et O me tardum & stupidum, quem tam diu latuit hic prædicandi modus, huc usque prorsùs ignorabam, & nisi Te docente æternùm ignoraturus, Quod cœli scilicet & Mundus & Providentia, sint de ordine prædicantium! Cœli quidem enarrant gloriam Dei,

(*Psal.*

(*Psal.* 19. 1.) Dei creatoris *; an verò etiam mysteria redemptoris? Firmamentum annunciat opera manuum ejus: An verò secreta cordis, aut arcana Christi? (τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ, 1 *Cor.* 2. 10. Quæ non nisi Spiritu revelante, patefiunt, *Vers.* 11, 12.) Docente Apostolo (2 *Cor.* 5. 19.) Deus erat in Christo, Mundum sibi reconcilians —— & posuit *in nobis* verbum reconciliationis: (& *Vers.* 18.—) Dedit *Nobis* ministerium reconciliationis: *Nobis* (inquit) Apostolis, Evangelistis, Doctoribus, Pastoribus; non Providentiæ Phænomenis. Secundum Te, tuamque differendi rationem, dixisse debuit Apostolus, Fides est ex aspectu, non ex auditu; at verò opponuntur Fides & Species, (2 *Cor.* 5. 7.) Et Fides non ἐξ ὄψεως est, sed ἐξ ἀκοῆς, (*Rom.*

* *Psal.* 19. 7. Lex Domini immaculata, convertens animam, &c. Dicuntur hæc (ut videtur) oppositè ad librum creaturarum, quem innuit versus primus. Quasi dicat, Cœli quidem enarrant gloriam conditoris & firmamentum annunciat opera manuum ejus; sed peculiaris est prærogativa verbi Divini & doctrinæ inibi contentæ, ut convertat animam. Et in hoc maxime fundatur τὸ θεῖον sive præeminentia Judæorum supra Gentiles, primò quidem & principaliter, quod illis concredita sint eloquia Dei, *Rom.* 3. 1, 2. Uti notat *Twyssius*, *p.* 194.

(*Rom.* 10. 17.) Non ex visione vel speculatione creaturarum vel cursus Providentiæ, sed ex auditu, auditus autem verbi prædicati (verbi Dei, vel ut Curcellæus legit, verbi Christi.)

Tu verò providentiam nobis fistis, non modo vocalem, sed prædicantem & concionantem de profundis Dei, de misericordiâ condonante & liberante, de reconciliatione, immò de Christo, de Messia, mediatore & redemptore. Est quidem (fateor) hic Mundus ingens Dei & naturæ theatrum, & Providentiæ Scena: An verò sit etiam speculum fidei, vel rerum veritatumque supernaturalium præco, vel articulorum fidei ἔσοπτρον, vel κάτοπτρον; liceat mihi, tuâ cum veniâ, ἐπέχειν, seu potius ἀντέχειν, καὶ ἀναπτύσσειν.

Locus Quartus *Marc.* 16. 16. Qui non credit, damnabitur, (cui D. B. adjungit *Joann.* 3. 18, 36.) Respondet, D. B. 'Hæc omnia dicta 'sunt de iis, quibus Evangelium 'præ-

‘ prædicatur. Replico. Locus prior ſupponit quidem Evangelii prædicationem, *(Verſ.* 15.*)* Euntes in Mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ. (Dein ſequitur) Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit: Qui verò non crediderit, damnabitur. Ex συνεχείᾳ & ordine dictorum, hoc ſolùm ritè inferri poteſt, ſcilicet Evangelii prædicationem, omni Creaturæ & univerſo Mundo eſſe neceſſàriam, in ordine ad fidem, adeóque in ordine ad ſalutem quod autem attinet ad poſteriorem (ſcilicet *Joann.* 3. 18, 36.) Per totum caput nulla fit omnino mentio prædicationis Evangelii.

Locus Quintus. Duo adhuc ſuperſunt loca, à methodiſtâ vexata, mihi vindicanda. Scilicet in Evangelio Joannis: Quorum primus occurrit, *c.* 14. 6. Ego ſum via, veritas & vita: Nemo venit ad Patrem niſi per me, h. e. per me, cognitum & agnitum & creditum. Cum enim modò dixerat, *(Verſ.* 1.*)* Credite

dite in Deum, credite & in me; ſubjungit autem in ſequentibus, Ego ſum via, veritas, *&c.* Annon uterque verſus ſe mutuò reſpicit? Viam ſcilicet eſſe ſe, ſed per veritatem Evangelii ex parte ſui, & per fidem ex parte noſtrî, per fidem terminatam in ipſo Jeſu, credite in *me.* Audiamus verò, quid D. B. ad hunc locum, *Part.* 3. *p.* 23. 'Hoc '(i. e. Chriſtum eſſe viam, *&c.*) 'non dubitatur: Nemo venit ad 'Patrem, niſi per Chriſti Sacrifici-'um, per Chriſti interceſſionem; 'nemo, niſi lumine Chriſti (non di-'cit, Fidei) ductus, & Spiritu Chri-'ſti tractus, & beneficiis Chriſti ad-'jutus & per promiſſionem, ſeu 'fœdus gratiæ à Chriſto procura-'tum. Summa eſt, quod nemo ve-'nit ad Patrem, niſi per meritum '& ſubſidia Chriſti: Sed non om-'nes per cognitionem, cultum vel 'fidem Jeſu Chriſti. At verò aliter multo locus intelligitur & exponitur ab Hilario, quem D. Baxtero, (pace ejus) opponam. *Hilar. de Trinit.*

Trinit. Lib. 9. *pag.* 157. (in ea Christi verba, Credite in Deum, credite & in me.) Naturam (inquit) planè separa, si fidem separas. Si credidisse, *sine Christo*, in Deo, vita sit; Christum à Dei & nomine & proprietate divelle. Quod si vitam perficit, credere in *Christo* eos, qui in Deum credunt; verbi virtutem diligens lector perpendat; Credite in Deum, & in me credite, uniens se fidei Dei, etiam naturæ ejus univit. Idem *Hilarius*, *L.* 11. *p.* 250. Ad Patrem nemo vadit, nisi per Filium, quia cessante nobis fide Filii, ignorabilis est Pater; non adituris ad paternam religionem, nisi prius Filii veneratione susceptâ; atque ita cognito Filio, ad vitæ nos æternitatem Pater adducit & suscipit. Ipsum verò locum (si placet) & verba, accuratius discutiamus. Annon satis connotatur, immò denotatur fides *in Christum*, cum Christus se non modo viam vocat, sed veritatem * ? Quæ notitiam & fidem

* *Aug. ad Julianam.* Nam neq; liberum arbitrium quicquam nisi ad peccandum valet, si latet veritatis via.

fidem poſt ſe trahit. Juxta illud Auguſtini, Sine viâ non itur, ſine veritate non cognoſcitur, ſine vitâ non vivitur. Non deſunt (fateor) qui verbis Chriſti Hendiadin affingunt, quaſi ſenſus eſſet, Ego ſum vera via ad vitam. Sed hoc (inquit Gomarus) ſenſum reddit anguſtum: Repugnat etiam (eodem notante) articulus ἡ, ſingulis ſubſtantivis præpoſitus, quod, ubi Hendiadis occurrit, fieri non ſolet. Perpendat verò Lector ſingula Chriſti verba, Nemo venit ad Patrem, niſi per me. Non dicitur paſſive, Nemo *admittitur* ad Patrem, ſed activè, Nemo venit ad Patrem, niſi per me. Quid eſt venire per Chriſtum, niſi venire primò ad Chriſtum, & per Chriſtum ad Patrem? Venire autem ad Chriſtum, quid eſt niſi in eum credere (ut ſupra conſtat, ex *Joann.* 6. 35.) Iterum cum dicit, Ego ſum via: Via eſt prorſus ad uſum, Eundi ſcilicet & ambulandi. Ducit via neminem niſi ingredientem & ambulantem. Quomodo

autem ambulatur in Christo, nisi credendo in Christum? Via hæc o-
2 Cor. 5. 7. Coloss. 2. 6. stendi debet, scilicet per prædicationem, (*Act.* 16. 17.) Sciri debet per cognitionem, (*Psal.* 67. 2. Ut cognoscant in terrâ viam tuam, & in omnibus gentibus, salutare tuum;) Teri etiam & calcari debet, non pede corporis, sed fide mentis. *Luc. Brug. in locum*, Christus hominibus est via ad Patrem, tribus modis, per doctrinam, per exemplum, per meritum. (Additque) Per hanc viam vadunt illi ad Patrem, qui credunt in Christum ut Mediatorem Dei & hominum. Hilarius (*L. 7. in calce libri*) super illa verba, [via, veritas & vita.] Hæc benigna ad salutem nostram dispensationis suæ nomina ipse constituit, ut nos tanquam *via in veritatem* deduceret, & *veritas* constitueret in vitâ. Non pigebit hîc verba Rolloci (in *Joann.* 14.) ascribere. Via (inquit) est Christus, sed dupliciter consideratur. Primò ut veritas, deinde ut vita. Per Christum

Christum primò ut veritas est, proficiscendum est ad Patrem; Deinde ad eum, ut vita est. Veritas enim prima pars viæ est, vita secunda est. Ergò per veritatem primò ingrediendum. Quid illud est? Hoc est, credendum est in Christum —— Huc redeunt omnia quæ diximus, ut credamus in Christum. Ergo, via est Christus, profectio est fides, fideique progressus. Ne autem existimarent, alias esse vias, quibus ad Cœlos tendamus, statim subjicit, Nemo nisi per me venit ad Patrem, ut non sit alia. At verò aliam adhuc responsionem habet D. B. quasi succenturiatam & subsidiariam, post principia latentem. Scilicet, Non dicit Christus, quod nemo qui non audivit, me incarnatum esse, Deum & hominem esse, crucifixum, &c. Quod tamen (inquit Methodista) *si dictum* fuisset, *Ad populum quibus dictum est, applicari* debet, enimvero hoc non est nodum solvere, sed dissecare.

Salvator hîc in extremo (ante mor-

tem) cum Apostolis colloquio, corroboraturus eorum fidem, & instigans eos ad expressiorem & firmiorem in ipso fidem: E secreto divinioris Theologiæ sinu & penu, depromit hoc insigne oraculum, hoc veritatis ingens axioma, Ego sum via, veritas & vita; illudque suffulcit & quasi sepimento stipat, per enunciatum universaliter negans, Nemo potest venire ad Patrem nisi per me. Quæ omnia quasi uno halitu difflare, vel saltem enervare satagit Methodista, Dicendo, Quod hæc & hujusmodi dicta illos solùm spectant, ad illos tantum pertinent, ad quos specialiter sunt dicta, ad Judæos scilicet, seu potius ad Apostolos (ad quos hæc privatim sunt dicta.) Hoccine est respondere, an potius tergiversari? Si hoc ostium semel aperiatur, actum erit de plusquam dimidio Scripturæ. Exempli gratiâ; eâdem operâ, siquis urgeat loca illa, (*Joann.* 3. *Vers.* 5. *Joann.* 6. 44, 65. *Joann.* 15. 5. *Heb.* 12. 14.) Siquis hæc urgeat, pro necessitate

Idem responsum vide *Part.* 3. p. 25. *ad Obj.* 11.

ceſſitate univerſali renaſcentiæ vel regenerationis, Tractionis vel gratiæ divinæ, ipſius etiam ſanctimoniæ; omnia hæc udo quaſi digito tolli poſſunt, reſpondendo, Quod hæc dicta ſunt particulariter ad Hebræos, ad Judæos, ad collegium Apoſtolorum. Adeóque una hæc fidelia (ſi admittatur) multos, immò omnes, dealbabit parietes. Una hujus novaculæ acies, cujuſcunque Textus ſuccidet nervos. Hâc arte totum eludetur Evangelium, Tota vis & acies dictorum, in utroque teſtamento, obtundetur. Ideóque Theologo indignum eſt, ad hoc χρησφύγετον, quaſi in latebram & latibulum, ſe recipere. Quod verò inſinuat D. B. de iis qui nunquam Evangelii nuncium audiverint; quaſi eſſent ἔξω τῆς βελῶν, extra minarum Biblicarum & Evangelicarum jactum & ictum, contrarium conſtat ex Scripturis, *Pſal.* 9. 17. Convertentur impii in gehennam, omnes Gentes quæ oblitæ ſunt Dei, *Pſal.* 79. 6. *Jer.* 10. 25. Effunde

indignationem tuam super Gentes quæ non cognoverunt Te, & super provincias (vel regna,) quæ nomen tuum non invocaverunt, 2 *Thess.* 1. 8. Tam qui non noverunt Deum, quàm qui non obediunt Evangelio Jesu Christi, sentient flammam ignis & vindictam divinam, *Luc.* 12. 48. Etiam servus qui non cognovit voluntatem Domini sui —— Vapulabit: Paucis quidem, sed vapulabit tamen. Neque enim ignorantia Dei aut Christi excusat à toto, sed à tanto.

Locus Sextus. Unus & ultimus restat locus à D. B. exagitatus, (*Part.* 3. *p.* 24.) scilicet *Joann.* 17. 3. Hæc est vita æterna ut te verum Deum cognoscant & *quem misisti* Jesum Christum. Quid autem ad hæc tam clara & perspicua opponi potest? Neque tamen D. Baxtero (ita est ingenium, ea pugnacitas, cedere nescia) non deest (inquam) subterfugium, sed languidum & miserum, talique acumine indignum. Responsum verò, quale quale, sic se habet, (*Part.* 3. *p.* 24.) 'Nulla 'quidem

'quidem ſalus alicui obvenit, niſi 'per ſcientiam Dei *& Chriſti*, vide- 'licet, vel modo obſcuriore & ge- 'neraliore, ut ſapientiæ Patris mi- 'ſericordis hominem redimentis à 'peccato, reatu & miſeriâ, ad feli- 'citatem; vel modo diſtinctiore, 'ut Filii Dei, incarnati, mortui, *&c.* 'Notitia prior neceſſaria facta eſt 'per fœderis editionem primam; 'notitia poſterior, per editionem 'perfectiorem, (i. e. ut opinor, E- 'vangelicam.)

Ad quæ reſpondeo. Primò ſupponitur hîc fœdus primum, adhuc vigens & valens, quod ſupra eſt refutatum. Dico Secundò, Cum, C. 4. juxta duplicem patefactionis modum à Methodiſtâ aſſertum, *Part.* 3. *p.* 19. Cum (inquam) neceſſe ſit, ut D. Baxterus (velit nolit) ſuos diſtribuat credentes (credentes juxta priorem fœderis editionem) in duas claſſes, Quarum altera continet Diſcipulos Traditionis (ſive Adamicæ, ſive Noachicæ, ſive Moſaicæ,) altera verò Diſcipulos meræ naturæ

& nudæ Providentiæ. Quod ad classem spectat priorem (eorum scilicet qui aliquid norant, de Semine vel Messiâ venturo) hæc, inquam, inter solos Judæos relicta invenitur. Quorum certè notitia, tantùm abest à modo illo sciendi generaliore, ut ne quidem scientia sit, sed aut infidelitas, aut error & falsa fides, credens scilicet de illo futuro & venturo, quem nos quidem certò novimus, (illi verò aut nesciunt aut negant) venisse.

Quod verò attinet, ad classem secundam, scilicet Discipulos solius naturæ & providentiæ; quo schemate dici possunt illi, habere (quod asserit D. B.) *scientiam Christi*, illi (inquam) qui sepositâ seu potius deperditâ penitùs omni Traditione, nihil nôrunt, de Christo, multò minus de Jesu. Aliquid de sapientiâ conditoris, notum habuere, scilicet in Mundi machinâ, ordine & regimine elucente; at verò per istam sapientiam Mundus non cognovit Deum

Deum (1 *Cor.* 1. 21. *) *nedum Chriſtum.* Latuit verò eos, in totum latuit, ſapientia illa Dei in Myſterio, (1 *Cor.* 2. 7.) quam nemo principum hujus ſæculi cognovit, *(Verſ.* 8.)

* Σοφίαν Θεοῦ hîc vocat cognitionem illam Dei, quæ ex naturâ rerum oritur. *Grotius in* 1 *Cor.* 1. 21. Item *Chryſoſt. in locum:* Quid eſt, *In ſapientiâ Dei?* Quatenus apparet per opera, per quæ voluit cognoſci.

Quod verò aliqui, neſcio quid de Implicitâ fide & cognitione Chriſti inter Ethnicos, inſinuare videntur (quæ eadem prorſus videtur cum hâc quam D. B. hîc obſcuram vocat & generaliorem) Reſpondeat (è noſtratibus) Lyſordus (*P.* 311.) Diſtinctio fidei in implicitam & explicitam, locum habere non poteſt, ubi objectum fidei eſt ignotum & non apprehenſum. Vel, ſi cui lene hoc reſponſum non ſufficiet, accipiat acrius à Curcellæo (*Diſſert. Theol. p.* 923. *n.* 13.) Fidem (inquit) implicitam rei prorſus ignotæ fingere, nihil aliud eſt, quàm delirare. Dico autem Tertiò; quod diſtinctio

Bax-

Baxteriana, de modo scientiæ obscuriore, & distinctiore, prout adaptatur huic loco Evangelico, vana prorsus est & inutilis, utpote qui excludit obscuriorem, & solam urget distinctiorem. Siquidem (uti palàm est & perspicuum) agitur ibi de scientiâ explicitâ, terminatâ in *Jesum*, in *Christum*, eumque *quâ missum* in carne; Ita enim se habent verba — Et Jesum Christum quem tu misisti. Epocha igitur vitæ & salutis jam figitur in cognitione Salvatoris, ut missi, exhibiti & incarnati. Quid attinet sermocinari de notitiâ Christi obscuriore & generaliore, cum textus ipse & Christus in textu, cognitionem urget particularem, explicitam & distinctam, ut necessariam ad vitam æternam? Faceſſat igitur nihili distinctio, quæ locum hic prorsus nullum habet nec habere potest.

Audiamus verò Hilarium, meliora & saniora commentantem. *Hil. L. 9. p. 167.* Sensum audientis interrogo, quid credendus est Jesus, cum

ad

ad id, quod Pater ſolus Deus verus credendus ſit, credendus & Chriſtus eſt? Idem, *P.* 166, 167. Separa vitæ æternæ fidem, vel loqui, Hæretice, diſce vel credere; & ſepara à Deo Chriſtum, ſi potes, à patre Filium, à Deo vero ſuper omnia Deum, à ſolo unum. Unus enim Dominus eſt Jeſus Chriſtus (*1 Cor.* 8. 6.) Si vita æterna eſt, in Deum ſolum credidiſſe, ſed non ſine Chriſto; ſeparato Chriſto à ſolo vero Deo, in confeſſione ſolius veri Dei, vita æterna non capitur. Non intelligo quomodo nobis, à vero Deo ſeparandus ad fidem ſit, qui non eſt ſeparabilis ad ſalutem. Adde etiam Fulgentium (contra Serm. Faſtidioſi, *p.* 211.) Divinitas quæ una eſt Patris & Filii facit, & Filium ſine Patre, & Patrem ſine Filio non agnoſci. *Cyprian. Ep. ad Jubaian.* (*Ep.* 73.) Ex ipſius Chriſti prædicatione, Pater antè cognoſcendus eſt, qui miſit, tum deinde Chriſtus, qui miſſus eſt. Nec poſſit eſſe ſpes ſalutis, niſi duobus cognitis.

§. 4.

§. 4. Quandoquidem verò, profiteatur Methodistâ, *Part.* 1. *p.* 375. *Arg.* 20.) Quod, Judicio *veteris Ecclesiæ* contradicere, neque modestum sit neque tutum; coronidis loco specimen hujus Judicii, D. Baxtero exhibebo.

Prodeant igitur imprimis Justinus M. & Clemens Alex. (quos tamen ut suos, suæque sententiæ fautores, venditat, *Part.* 3. *p.* 23.) Justinus, *Dial. cum Tryph. p.* 263. Hortatur eos, operam navare ut cognoscerent quâ viâ iis remissio peccatorum contingat & spes hæreditandi bona promissa; subjungens, Ἐσὶ δ' ὁδὸς ἄλλη ἢ αὕτη, ἵνα τοῦτον τὸν χρεισὸν ἐπιγνόντες, καὶ λελουμένοι τὸ ἐν τῇ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν, διὰ Ἡσαΐου κεκηρυγμένον λουτρὸν, ἀναμαρτήτως λοιπὸν ζήσετε. i. e. Est autem *nulla alia* quam hæc, ut *Christo hoc agnito*, quod ab Esaiâ promulgatum est, propter remissionem peccatorum, Lavacro abluti, sine crimine de cætero vivatis. Idem Justinus, eodem Dialog. *p.* 225.

(De

(De Christianâ agens doctrinâ, post strictam indagationem expertus pronunciat & profitetur) Ταύτην μόνην ἔυρισκον, Φιλοσοφίαν ἀσφαλῆ τε καὶ σύμφορον. i. e. Hanc solam comperi, esse certam & utilem Philosophiam. *Clemens Alex.* Στρω. 2. *p.* 362. Ἔστιν ἓν ἄλλη τις τοιαύτη κατάστασις ἀληθοῦς θεοσεβείας αὐτῆς, ἧς μόνος διδάσκαλος ὁ λόγος; οὐκ ἔγωγε, δίμαι. h. e. Estne ergo aliquis alius ejusmodi verò status pietatis ac Dei cultus, cujus sola est magistra Ratio? Non ego quidem id arbitror. Eundem vide Στρω. 1. *p.* 288. *Origenes L.* 9. *in Epist. ad Rom.* Quia omnes concluſi sunt sub peccato, jam non in meritis, sed in misericordiâ Dei salus humana consistit, neque fides nostra sine sanguine Christi, neque sanguis Christi, *sine fide* justificat. Et impossibile est salvari sine fide. Idem Origenes (inter opera Hieronymi, *T. p.* 61.) In Canticum Canticorum; congruum quippe est ut in nuptiis adolescentulorum sit multitudo cum sponsâ,

sponsâ, Juvenum turba cum sponso. Hæc omnia noli *foris* quærere, noli extra eos, qui prædicatione Evangèlii salvati sunt.

In Arnobio Afro (contra Gentes *L.* 2. *p.* 162. Rogat Ethnicus) Christianus ergò nisi fuero, spem salutis habere non potero? (Resp. Arnob.) Ita est, ut ipse proponis. Lactantius (quem etiam à se stare vult, D. B.) ille, *L.* 4. *Instit. c. ultimo.* Sola (inquit) Ecclesia Catholica est, quæ verum Dei cultum retinet. Hic autem est fons veritatis, hoc est domicilium fidei, hoc templum Dei, quod si quis *non intrassit*, vel à quo siquis exierit, à spe vitæ & salutis æternæ alienus est. Cyprianus *L.* 2. *Ep.* 8. Quomodo potest esse cum Christo, qui cum sponsâ Christi, atque in ejus Ecclesiâ non est? Irenæus, *L.* 3. *c.* 21. Ignorantes eum, qui ex Virgine, Emanuel, privantur munere ejus, quod est vita æterna. Hieronymus in *Ezech. c.* 47. (Ubi describitur status Evangelicus) mysticas habens aquas, egre-

egredientes ſubter limen domus, (*Verſ.* 1.) & intumeſcentes in torrentem qui non poteſt tranſvadari, (*Verſ.* 5.) Et vivent omnia, ad quæ veniet torrens, (*Verſ.* 9.) Has aquas Hieron. (in locum) interpretatur, vel baptiſmi gratiam vel Evangelicam ſignificare doctrinam. Mirumque (inquit) in modum, aquis Evangelii aquæ ſanantur mortuæ; quæ ab eo quod *nihil in ſe* vitale habeant, nomen mortis ſunt ſortitæ: *Non enim noverant eum*, qui dicit, Ego ſum vita & veritas: Sequitur *Verſ.* 10. ejuſdem capitis, Et ſtabunt ſuper illas piſcatores, ab engaddi uſque ad Engallim ſiccatio erit ſagenarum: Plurimæ ſpecies erunt piſcium ejus, ſicut piſces Maris Magni, multitudinis nimiæ. (Dein additur, *Verſ.* 11.) In litoribus autem ejus & paluſtribus *non ſanabuntur*. Quid ad hæc Hieronymus? Piſcatores (inquit) erunt, quibus loquitur Dominus Jeſus (ſcilicet *Matth.* 4. 19. *Mar.* 1. 17. *Luk.* 5. 10.) Venite ad me & faciam vos piſcatores ho-

hominum. (Addit autem paulò poſt) Quod autem ſequitur, In litoribus & paluſtribus, & in his quæ extra litora egrediuntur aquæ *non ſanabuntur :* Illud latenter ſignificat, quod qui in Noe arcâ non fuerit, pereat regnante diluvio. Et quos iſte fluvius (ſcilicet Apoſtolicæ & Evangelicæ prædicationis) non attigerit, non ſuſcipient ſanitatem. [Hactenus Hieronymus.]

S. Aug. de C. D. L. 10. *c.* 32. (dicit,) Univerſalem viam liberandæ animæ, quam Porphyrius, malè quærendo, non reperit; eam eſſe quam ſola gratia Chriſtiana reſeravit — Præter hanc viam, quæ partim cum hæc futura prænunciantur, partim cum facta nunciantur, nunquam defuit humano generi, nemo liberatus eſt, nemo liberatur, nemo liberabitur. Idem, *de Pecc. Mer. & Remiſſ. L.* 2. *c.* 29. *p.* 153. Una ergò eſt fides, quæ omnes ſalvos facit, qui ex carnali generatione in ſpiritualem renaſcendo ſalvantur, *Terminata in eo,* qui venit judicari & mori, judex vi-

vivorum & mortuorum. Idem contra Creſconium, *L.* 1. *c.* 29. *p.* 47. Quid eis prædicare cupiebat Apoſtolus (ſcilicet *Act.* 17. 23.) niſi ut eundem Deum, quem *præter* Eccleſiam *ignorantèr & inutiliter* colebant, in Eccleſiâ ſapienter & utiliter colerent.—Unus enim Deus eſt, una fides, unum Baptiſma, una incorrupta Eccleſia, non in quâ ſolâ unus Deus colitur, ſed in *quâ ſolâ* unus Deus piè colitur. Idem, *L. de Nat. & Grat. c.* 2. (Objicitur) Quid faciet humana natura, vel quid fecit, quæ vel antè hoc non audivit, vel adhuc non conceperit factum? Niſi, credendo in Deum Creatorem qui fecit cœlum & terram, à quo & ſe factum naturaliter ſentit, & rectè vivendo ejus impleat voluntatem, nullâ fide paſſionis Chriſti aut reſurrectionis imbuta? (Reſp.) Quod ſi potuit aut poteſt, hoc & ego dico, quod de lege dixit Apoſtolus, ergò gratis Chriſtus mortuus eſt. (Concluditque) Ergò omnis humana natura juſtificari &

redimi ab irâ Dei justissimâ, hoc est, vindictâ, nullo modo potest, nisi per *Fidem* & Sacramentum *sanguinis Christi*. Multus in hâc re est S. Augustinus (ut alibi fusius ostendi.)

Prosper Aquitanicus, Sententia super quartum Gallorum Capitul. *p.* 134. Qui dicit quod non omnes vocentur ad gratiam, si de his loquitur, quibus Christus annunciatus non est, *reprehendi non* debet; quia scimus quidem in omnes fines terræ Evangelium destinatum; sed non putamus jam in omnibus Terræ finibus prædicatum. *Nec possumus* dicere quod ibi sit gratiæ vocatio, ubi matris Ecclesiæ nulla est regeneratio. Idem, *In sentent. super decimum, p.* 135. Quibusdam populis vetuit (Deus) Apostolos Evangelizare: Et nunc aliquas adhuc Gentes patitur *extra gratiam suam degere*. Idem, *Respons. ad capit. Gallor. ad Obj. cap.* 4. Non dubium est, à tempore resurrectionis Domini, usque ad præsentem ætatem, fuisse homines qui ab hâc vitâ, sine Evangelii

gelii cognitione transierint; de quibus dici possit, Quod vocati non sint, quia nec spem vocationis audierant. Idem *Prosper. in Resp. ad objectionem Vincentianam primam, p.* 138. Sanguis Christi, redemptio totius Mundi. Sed qui hoc sæculum *sine fide Christi* & sine regeneratione Sacramenti pertranseunt, redemptionis alieni sunt. *Hilarius de Trin. L. 9. p.* 148. Nescit, planè vitam suam nescit, qui *Jesum Christum*, ut verum Deum, ita & verum hominem ignorat. Idem, *L. 8. p.* 134. Unus Deus Pater, ex quo omnia & nos in ipso, (1 *Cor.* 8. 6.) — Dehinc quia nudum hoc, in Deum Patrem credere, *non proficeret* ad salutem, subjecit, Et unus Dominus noster Jesus Christus, per quem omnia & nos per ipsum, Sinceritatem fidei, in unius Dei & unius Domini prædicatione demonstrans. De gratiâ verò non digne sentit, quisquis eam putat omnibus hominibus dari; cum non solùm, non omnium est fides, sed adhuc non-

nullæ Gentes inveniantur, ad quas fidei prædicatio non pervenit. Beatus enim Apostolus dicit, Quomodo invocabunt in quem non crediderunt, aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Non itaque Gratia omnibus datur; quandoquidem ipsius gratiæ participes esse non possunt, nec possunt credere, ad quos invenitur ipse fidei auditus non pervenisse. *Epist. Synodica Episcoporum Africanorum in Sardiniâ exulum, p.* 8, 9. (Præfigitur Fulgentii opusculo.) Ecclesia in priore erroris statu, nec videbat ab ortu, sine oculis, & cœca, nec videbatur omnino à Deo. —— Omnes reliquæ fides quæ sunt in Mundo, sunt mortuæ, & motus mortuorum populorum & gentium; ut quæ in se non habebant eum qui dicit, Ego sum vita; neq; regenerant aut vivificant per uterum aquæ & Spiritus, suos filios & populos: Sed sunt sine semine & viduæ fontis vitæ, & non fruentes aquâ vivâ & saliente in vitam æternam. Sola ergò Ecclesia dicitur & vita

vita & mater omnium viventium. *Anaſtaſius Sinaita, contemplat. in Hexaemeron. L.* 10.

Atque hæc ſufficiant impræſentiarum, ex antiquis Patribus. Quibus, auctarii loco, quædam ex neotericis adjungere, non pigebit. *Melanchthon, de libert. Chriſtianâ, pag. (mihi)* 672. Quos elegit, hos & vocavit; nulli ſunt electi extra hunc cœtum vocatorum; non alibi populus Dei niſi inter vocatos, quærito. Sunt autem vocati, qui ſunt ſocii hujus cœtus *audientis* Evangelium, & ſacramentis inſerti huic cœtui. Idem, *Examen, &c. de Deo, p.* 673. Solâ illa congregatio, in quâ agnoſcitur Filius Dei Dominus noſter Jeſus, crucifixus pro nobis, *&c.* eſt Eccleſia, in quâ ſunt multi placentes Deo, & rectè eum invocantes, & electi ad vitam æternam; juxta hæc dicta, ſcilicet *Joann.* 3. 18, 36. *Joann.* 5. 23. 1 *Cor.* 3. 11. *Joann.* 14. 6. Hæc ſcire neceſſe eſt contra Tannerum, Latomum Lovanienſem, & ſimiles, qui infinitam confuſionem

faciunt, & fingunt Eccleſiæ membra ubique eſſe, Ethnicos & alios quorum mores ſunt honeſti. Chemnitius, *Exam. Concil. Trident. L.* 1. diſputat contra Andradium, aſſerentem fidem & ſalutem philoſophicam, & aſtruentem (in Ethnicorum gratiam) fidem juſtificam & ſalvificam, quæ non ex Sacris Literis, diviniſque oraculis, ſed ex rebus etiam iis quæ ſenſibus ſubjiciuntur, haberi poteſt. Hæc & hujuſmodi (inquit Chemnitius,) verè ſunt, non humana ſed diabolica fidei ludibria, & verbi divinitùs patefacti. Eaque multis refutat, *p.* 108. 109, 110, 111, 112. (quem vide.)

Agmen claudat Jacobus Arminius, *Diſp. Privatæ. Theſſ.* 32. §. 5. *p.* 300. Poſt ingreſſum peccati, nulla hominum à Deo ſalus, niſi per Chriſtum, nullus ſalutaris cultus Dei, niſi in nomine & reſpectu Chriſti, qui Chriſtus peccatorum, ſed in ipſo credentium, ſalvator eſt. Adeò ut ſine Deo ſit, quiſquis ſine Chriſto eſt; & ſine Chriſto, quiſquis ſine fide, ſine

ſine cultu & religione Chriſti eſt. Sine cujus ſive promiſſi typiſque adumbrati, ſive exhibiti clareque annunciati *Fide ac ſpe*, neque Antiquitas ſalva eſt, neque ſalvi nos ſumus.

Fuſiùs autem & fortiùs hoc urget idem *Arminius in Orat. de objecto Theologiæ, p.* 32, 33. (Quæ ut fidem liberem, plenius hîc repræſentabo.) Dico itaque (inquit) non Chriſti tantùm interventum neceſſarium eſſe ad ſalutem à Deo impetrandam & hominibus impartiendam, ſed & *Chriſti fidem*, ad eandem ex ipſius manibus accipiendam. Et fidem Chriſti, non ſub generali ſapientiæ, potentiæ, bonitatis, miſericordiæ Dei notione apprehenſi, ſed quemadmodum ab Apoſtolo eſt prædicatus, & fides illius ab iiſdem annunciata & literis conſignata. Non moveor argumento, quo nonnulli in hanc ſententiam adduci ſe profitentur, Quod neque cum miſericordiæ amplitudine, neque cum juſtitiæ ipſius ra- *N. B.*

tionibus conveniat tam præcisa fidei in Christum ab omnibus salvandis postulatio; quum multa hominum millia ex hâc vitâ excedant, antequam vel fama Evangelii Christi ad eos pervenerit. Nam de justitiæ & misericordiæ divinæ rationibus, non ex modulo ingenii aut affectus nostri est statuendum; sed Deo istarum suarum proprietatum & libera administratio & justa defensio est relinquenda. Accidet autem, quomodocunque ipsi visum fuerit illas administrare, ut semper vincat, quando judicabitur. Nobis ex verbo ipsius sapiendum est. Illud, primis secundisque certis, Fidei in Christum necessitatem describit, ex ordinatione justæ misericordiæ, misericordis justitiæ Dei, Qui credit in Filium, habet vitam æternam; Qui non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super illum; non incipit ira Dei accendi adversus illum, sed quam jam promeritus erat præcedentibus peccatis adversus legem commissis, manet

net ſuper illum, propter incredulitatem, quia liberari ab illâ poterat per fidem in filium Dei. Item, niſi credideritis me illum eſſe, moriemini in peccatis veſtris. Et alibi, Hæc eſt vita æterna, ut Te ſolum cognoſcant verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Et Apoſtolus (*1 Cor.* 1. 23, 24.) Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvare credentes. Illa prædicatio eſt ſermo de cruce, Gentibus ſtultitia, Judæis offendiculum; vocatis autem tum Judæis tum Græcis, Chriſtus Dei ſapientia & potentia. Non ſapientia & potentia, quâ Deus Mundum condidit; ab illâ enim perſpicuè Chriſtus hîc diſtinguitur; ſed ſapientia & potentia revelata in Evangelio, quod eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Non ergò crux ipſa tantùm Chriſti, neceſſaria ad impetrandam redemptionem, ſed & Fides crucis, ad eandem obtinendam; neque quia proponitur Sermo crucis hominibus, fides illius eſt neceſſaria; ſed quia neceſ-

ſaria

N. B. saria est fides, in Christum ex decreto Dei, sermo crucis proponitur, ut credentes salventur. Neque ex decreto tantùm Dei, fides in illum necessaria est, sed etiam ex promissione Christo à Patre factâ, immò ex pacto inter utrumque inito. Promissionis sermo hic est: Postula à me & dabo tibi Gentes in hæreditatem tuam. Hæreditas autem Christi, populus fidelium, populus qui ipsi in die exercitus ipsius spontaneus aderit in splendoribus sanctitatis, (*Psal.* 110.) Item, benedicentur in Te omnes Gentes; Itaq; qui ex fide sunt, benedicuntur cum fideli Abraham, (*Gal.* 3. 9.) Apud Isaiam (*Cap.* 53.) Quum posuerit pro delicto animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Jehovæ in manu ejus prosperabitur: Propter laborem animæ suæ videbit fructum, quo saturetur; scientiâ suâ (quæ est fides in illum) justificabit justus servus meus multos, iniquitates ipsorum ipse portabit. Pactum cum Patre initum

tum allegat Chriſtus, dicens, (*Joann.* 17. 2, 3.) Pater, glorifica filium tuum, ut & Filius tuus te glorificet. Sicut dediſti ei authoritatem in omnem carnem, ut quotquot dediſti ei, det eis vitam æternam: Et quæ ſequuntur. Conſtitutus ergò eſt Chriſtus decreto, promiſſo & pacto Patris ſalvator omnium in ipſo credentium: Et conſecratus, factus eſt Author ſalutis, omnibus qui ipſi auſcultant, (*Hebr.* 5.) Unde & Gentes ſine Chriſto dicuntur, alieni à republicâ Iſraelis, à pactis promiſſionum, ſpem non habentes, Dei expertes in Mundo. (*Eph.* 2. 12, 13.) & Tenebræ (*Eph.* 5. 8.) Per fidem autem Chriſti, propinqui facti, & Lux in Domino.

[Tandemque hiſce verbis, egregiè concludit:] Neceſſe eſt itaque, ut pro religionis Chriſtianæ *neceſſitate*, tanquam pro ſalutis arâ & anchorâ depugnemus; ne ſi Filium nobis & noſtræ fidei patiamur adimi, ipſo quoque Patre deſtituamur.

Qui

Qui enim Filium non habet, ne Patrem quidem habet, (1 *Joann.* 2. 23.) Si autem ad istius necessitatis diminutionem vel circumscriptionem tantillùm conniveamus, Christus ipse apud suos Christianos in contemptum adducetur, & tandem in universum abnegabitur. Proclive enim est salutis meritum & efficaciam salvandi illi adimere, in cujus sacramenti verba jurare, nullâ necessitate compellimur. Quis credet beneficium ab illo præstitum esse, cui gratias agere non sit necese? Immò quis non palàm & pleno ore profitebitur, salutis Authorem non esse, quem salutis Authorem agnoscere non est necese?

Fortiter ergò urgenda est, utriusque objecti istius, Dei & Christi, conjunctio in Theologiâ nostrâ; neque ferendum ut ullo prætextu, à se invicem dissiparentur; nisi ipsum à nobis disjungi Christum, & cum Christo salutem auferri, velimus.

Quædam

Quædam Addenda ad Caput ſecundum Diſquiſitionis, Sect. 5. Pag. 99. Linea 9.

SIcut aliud eſt τὸ γνωστὸν Θεῷ, aliud τὸ πιστὸν, ita aliud eſt ἡ γνῶσις, aliud ἡ πίστις. * Naturalis cognitio Dei, indagini rationis innititur & conſequentiis inde deductis: Fides autem, teſtimonio vel verbo Dei ut fundamento, miniſterio verbi, ut inſtrumento. Τῷ γνωστῷ τοῦ Θεοῦ, non fides propriè dicta reſpondet (inquit Amyrallius,) ſed γνῶσις: Adeóque concedit, Orthodoxos Theologos meritò damnaſſe fidem

* Πίστις ſæpenumero vocatur ἐπίγνωσις, magis quàm γνῶσις, Agnitio, magis quàm cognitio, 1 *Tim.* 1. 4. 2 *Tim.* 2. 25. *Coloſ.* 2. 2. *Eph.* 1. 17. *c.* 4. 13, 2 *Pet.* 1. 8. *c.* 2. 20.

fidem naturalem, hoc est, Eos qui fidem actu existere docent ex naturalibus hominum facultatibus, *sine verbo* & absque ope Spiritûs Sancti. Vide *Specim. Animadvers. Generalium*, *Part.* 2. *p.* 227. Idem, *in Specim. Animadvers. Specialium*, *Part.* 2. *p.* 117. 'Fides (inquit) etsi in 'notitiâ posita est, nititur tamen præ- 'cipuè testimonio & authoritate lo- 'quentis. Jam verò quicquid est 'quod in providentiâ Dei revelatum 'fuit, ad spem veniæ faciendam, te- 'stimonium propriè dictum non est. 'Idcirco, tametsi facultatem rectè 'constitutam nanciscerentur, Fidem 'propriè dictam generare non po- 'test (sed tantùm scilicet γνῶσιν.) Idem, *Pag.* 129. Negat τὸ πιστὸν, Gentilibus ad amplectendum, fuisse præbitum aut necessarium esse ad conversionem. Interim verò non dissimulandum est, quod Amyrallius τὸ γνωστὸν Θεοῦ latius justo extendit, ita ut in eo includat non solum Dei virtutem & potentiam, sed etiam Dei voluntatem, i. e. voluntatem

tatem misereſcendi, condonandi & in æternum ſalvandi. E contra & in oppoſitum, Potentia quidem Dei & Θειότης, (*Rom.* 1. 21.) ut & ſapientia, (1 *Cor.* 1. 21.) in ipsâ Mundi conditione, fabricâ, & opificio ſatis quidem ſunt conſpicuæ, omnibuſque proſtant ut objecta naturalis θεογνωσίας. At vero gratioſa Dei voluntas, æternam hominum ſalutem diſponens, ordinans & conſtituens, non niſi aliundè innoteſcit, ejuſque cognitio ab ipſo ore Dei petenda eſt, à ſolâ ſcilicet patefactione Spiritus & verbi revelationibus (*Rom.* 11. 34. 1 *Cor.* 2. 10, 11, 12, 14, 16.) Id quod diſertè olim docuit Origenes *in Expoſitione Epiſtolæ ad Romanos.* Sic enim ille, *in c.* 1. *Verſ.* 19. *Fol.* 137. literâ B. Id quod notum eſt Dei,] oſtendit eſſe aliquid Dei quod notum ſit, & aliquid ejus quod ignotum ſit. Literâ D.] quod notum eſt Dei, id eſt, quod cognoſci de Deo poteſt per conjecturam creaturæ. Literâ E, manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis mani-

manifestavit.] Jam & superiùs diximus, quia notum est Dei hoc, quod ex hujusce Mundi consequentiis vel rationibus assequi possunt; sicut & ipse Apostolus in sequentibus indicat, dicens, Invisibilia ejus, per ea quæ facta sunt, contemplari. Pergit vero, literâ F, ostendens quæ sint illa invisibilia Dei. Scilicet, Virtus (seu potentia) quâ regit omnia, & Divinitas quâ replet omnia. Et *in Cap.* 2. *Fol.* 142. D, tandem concludit tum affirmativè tum negativè, Cognosci (inquit) Deus à creaturâ Mundi, per ea quæ facta sunt, etiam Gentilibus, potuit, & sempiterna ejus Virtus & Divinitas: *Voluntas* verò ejus *non nisi* ex lege cognoscitur & prophetis. (Vide & *Calovium in Rom. c.* 1. 20. *pag.* 32.) De Amyrallio verò notandum est, Quod licet Gratiam (seu potiùs misericordiam) Dei *objectivam* universalem acriter defendat: Tamen Gratiam *subjectivam*, i. e. salutiferam de Deo & in Deum Fidem (unà cum verâ sanctimoniâ cordis

&

& vitæ.) Hanc (inquam) non niſi intra ſinum & limites Eccleſiæ ponit & includit, hanc nullibi inveniri, nuſquam ſuppeditari aſſerit, niſi ſub miniſterio verbi; hanc denique, Gentilibus extra verbum aut Evangelium viventibus, prorſus & penitus, ſemper & ubique negat. Ut videre eſt, *in Specim. Animadv. General. p.* 113, 118, 127, 128, 183, 192, 194, 195, 200, 210, 227, 234, 242, 261. Atque etiam *in Specim. Animadverſ. Special. Part.* 2. *pag.* 127, 155, 149, 210, 213, 261. *Part.* 3. *p.* 164, 157. *Part.* 4. *pag.* 333, 334.

Appendix Diſquiſitionis

IN

Hypotheſin *Baxterianam:*

SIVE,

Diſcuſſio Authorum qui nominantur, vel locorum quæ ex Patribus adducuntur in favorem ſententiæ, ſive Baxterianæ, ſive Curcellæanæ.

Authore *Carolo Robothamo.*

Sine fide Mediatoris, nullum hominem vel antè vel poſt fuiſſe ſalvum, Sanctorum Authoritates conteſtantur.
Lombard. l. 3. d. 25.

Dicendum, quod nunquam homines potuerunt ſalvari, etiam ante Chriſti adventum, niſi fierent membra Chriſti, quia, ut dicitur, Act. 4. 12. *Non eſt aliud nomen,* &c.
Aquin. 3. qu. 68. a. 4 1.

Londini, An. Dom. 1695.

Appendix Disquisitionis.

QUamvis veritatem Thesis meæ, De omnimodâ Christianismi necessitate ad salutem, rationibus & argumentis è Scripturâ petitis firmatam, satis astruxisse videar: Quoniam tamen & D. Baxterus, atque etiam Curcellæus, speciem antiquitatis præ se & pro se ferunt, visum est mihi, per modum appendicis, in Authores & Authoritates ab illis in contrarium allatas (paucas licet, meisque neque numero neque pondere pares) aliquantò strictius inquirere. Et certè D. Baxterus, nè uno quidem loco vel libro citato, satis habuit, Justinum, Clementem, Origenem & Lactantium, in armilustrio tanquam suos recensere; contentus magna hæc nomina ostentâsse,

quorum solo aspectu tanquam erectâ in altum ægide vel ostenso Medusæ capite, Lectorem attonitum & obrigescentem, in stuporem daret.

§. 2. Curcellæus verò particularius agit, & ad certa quædam loca & paragrapha descendit; Quorum leviora hîc examini subjiciam, Gravioribus in ultimum reservatis. Profert igitur inter cæteros Ambrosium, de bono mortis, sic scribentem; Quæ sit animarum post hanc vitam lætitia, Esdras secundùm collatam ei revelationem, revelavit; Justos cum Christo futuros & cum Sanctis. Hinc & Socrates ille festinare se dicit ad illos Semideos (sive ad suos Deos,) ad illos optimos viros. Sic ostendens (inquit Curcellæus) se credere, Socratem cum Christo aliisque Sanctis æternùm victurum. Resp. Utrum hoc sit opus genuinum Ambrosii, meritò dubitari potest, et quod revelationem citet ex quarto Esdræ, tanquam libro Canonico

Quem

Differt. 3. §. 36. *pag.* 931.

Scilicet quarto Esdræ, c. 7. 28.

Quem tamen à Canone rejecit non ſolùm Eccleſia olim Judaica, ſed etiam præſens Romana, immo & vetus Chriſtiana. Aut igitur Eſdræ revelationi credendum eſt, aut huic authoritati renunciandum. At vero ipſa Ambroſii hîc penſitemus verba; neque enim dicit *ſe* credere, Socratem cum Chriſto & Sanctis æternùm victurum, uti Curcellæus fingit: Sed ut oſtendat dogma Chriſtianorum de gaudiis poſthumis & ingenti juſtarum animarum lætitiâ, non eſſe alienum ab Ethnicorum ſenſu & mente, profert verba Socratis, eumque inducit profitentem ſe feſtinare ad illos ſuos Deos, ad illos optimos viros: [& ſtatim addit,] Noſtra ſunt utique quæ in philoſophorum literis præſtant, & ille poſuit ea, quorum proprium teſtimonium non habebat: nos vero divini præcepti habemus Authoritatem. Quid autem ipſe Ambroſius ſenſerit, liceat ex aliis illius operibus colligere. *Ambroſius in Ep. ad Romanos, cap.* 2. *p.* 486. Juſtitiam

(inquit) naturaliter servans, custos legis est —— amicus legis est. Huic sola fides deest, per quam fiat perfectus: Quia nihil illi proderit, abstinere à contrariis, nisi fide acceperit, ut sit justus per utraque: Quia illa temporis justitia est, hæc æternitatis. *Idem ibidem*, De Judæis sub lege, hæc habet verba, omnis salus in lege, de Christo est. Hic ergo servat legem, qui credit in Christum. Certè genuinus hic Ambrosius, qui salutem in lege non concedit nisi credenti in Christum (scilicet promissum,) ut ille salutem concedat Socrati, nec fidem nec Christum nè per somnium cogitanti, vix est credibile. Idem, *in L. de fugâ sæculi (cap. 8. p. 59. A.)* Verba faciens de poculo sive cratere quem miscuit sapientia (scilicet *Proverb.* 4.) sic infit, De hoc cratere Plato, in suos libros tranferendum putavit, ad cujus potum vocavit animas, sed eas explere nescivit, qui potum non Fidei sed perfidiæ ministrabat. Illéne Socratem ad gaudia

dia cœleſtia admittere putandus eſt, qui Platonem perfidiæ, i. e. infidelitatis damnat & inanitatis ?

§. 3. Hactenus de Ambroſio, pergo ad Origenem, Qui (*in Homil. in Rom.* 2.) verba Apoſtoli (ſcilicet Gloria, & Honor, & Pax omni operanti bonum, Judæo primùm & Græco) exponit (inquit Curcellæus) de infidelibus, dicens, Quod ut ego capere poſſum, de Judæis & Gentilibus dicit, utriſque nondum credentibus. [Statim vero ſequitur, id quod Curcellæus diſſimulat,] Fieri enim poteſt, ut vel ex his qui lege ſunt, ſiquis perſuaſione quidem admonitus, Chriſto non credat, operetur tamen quod bonum eſt, juſtitiam teneat, miſericordiam diligat, *&c.* Hic etiamſi *vitam æternam non habet*, quia credens ſoli vero Deo, non credidit & Filio ejus Jeſu Chriſto quem miſit; tamen gloria operum ejus, & pax & honor poterit non perire. Iſte quia eſt alienus à vitâ æternâ & intrare non poſſit

possit regnum cœlorum, quia non est renatus ex aquâ & spiritu; videtur quod per hæc quæ dicuntur ab Apostolo, bonorum operum gloriam, pacem & honorem, perdere penitùs non possit. Idem, *Fol.* 143. *A.* Qui non credit in nomine unigeniti, jam judicatus est, (scilicet inquit) secundùm hoc, quod non credidit. — At etiam non-credenti, si quid boni operis gesserit, exceptâ infidelitate, remuneratio non peribit. Hæc scilicet est mens Origenis, Deum nullum opus bonum, etiam non-credentis, sine renumeratione aliquâ præterire. At vero eundem prorsus & planissime excludit à vitâ æternâ, immo & à justificatione (ut postea constabit.) Notandum vero, quod in illo loco, *(Fol.* 142. *E.)* Origenes sic scribit. Tres (inquit) hoc in loco ordines feciſſe videtur Apostolus. Primò enim dicit de
Vers. 7. his, qui cum patientiâ boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, quod ipsis reddit Deus vitam æternam.—Et vis scire,

quòd

quòd nullius est vita æterna, nisi ejus qui credat in Christum? Audi salvatoris vocem evidenter in Evangeliis designantem, Hæc est vita æterna, ut cognoscant Te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum; omnis enim qui non agnoverit Patrem solum verum Deum, & Filium ejus Jesum Christum, alienus est ab æternitate vitæ. Hæc enim ipsa cognitio & fides designatur, vita esse æterna. Est igitur primus hic locus Christianorum. Secundo in loco ponuntur hi, qui ex contentione diffidunt, Quibus ira & indignatio, tribulatio & angustia imminet, id est, omni animæ malum operanti, Judæo primùm & Græco. His autem iisdem etiam bonorum retributio, pari cum distinctione promittitur, cum dicit, gloria & honor, & pax omni operanti bonum, Judæo primùm & Gentili, quod ut ego capere possum de Judæis & Gentilibus dicit, utrisque nondum credentibus. Hoc est, remuneratione (aliquâ) dignus habebitur

Vers. 8, 9.

Vers. 10.

bebitur (uti sequitur *Fol.* 143. *A.*) Interim verò alienus à vitâ æternâ ibidem disertè pronunciatur. Origenes igitur non tam nobis est objectandus, quàm sibi ipsi potius conciliandus. Præsertim cum mentem suam satis apertè exprimat in his ipsis Homiliis, *in Epistolam ad Romanos*, in *c.* 2 *Fol.* 141. *E.* Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum & quem misisti Jesum Christum: Per quod ostendit, in agnitione Dei & Christi Jesu, vitæ æternæ manere substantiam. Idem *Fol.* 142. *A.* Omnis qui alienum à veritate iter ingreditur, nec sequitur eum qui dixit, Ego sum veritas, diffidit veritati & inobediens est ei. Idem *in Rom.* 4. *Fol.* 162. *A.* Ostendit quod siquis habeat integra omnia quæ Lex edocet naturalis, & in nullo eum peccati conscientia reprehendat, non tamen habeat & fidei gratiam, non posse eum justificari. Fides enim est quæ ad justitiam reputatur. Idem *in Rom. Fol.* 161. *C.* Si sufficere potuisset

tuisset Lex naturalis ad fidem, superfluum videretur quod dictum est ad Abraham, Exi de terra tuâ & de cognatione tuâ, *&c.* Idem *in Rom.* 5. 9. *Fol.* 168. *A.* In superioribus dixerat, Justificati igitur ex fide pacem habeamus ad Deum. Et nunc dicit, Multò magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab irâ per ipsum. Ex quo ostendit, quod neque fides nostra sine sanguine Christi, neque sanguis Christi sine fide nostrâ justificat. Cætera ex Origene citata, vide in Disquisitione meâ, *Cap.* 5. ubi, erratum à me fateor in loco; non enim extat in nono Libro, *ad Rom.* neque adhuc possum recolligere, ut corrigam.

§. 4. Transeo ad Chrysostomum. Ille *in Homiliâ* 37. *in Matthæum*, sic scribit. Poterant autem homines tunc (i. e. ante adventum Christi) etiam ipsum Christum non confessi, salvari. Non enim Christi, qui nondum venerat, ab illis cultus petebatur,

tebatur, sed ut idolorum cultu spreto, unum solum Deum conditorem omnium noscerent *. [Quæ quidem aliquo sensu admitti possunt; neque enim tenebantur confiteri Christum in carne, ante ejus adventum; neque Christi quà incarnati cultus aut fides ab illis tunc petebatur. Λόγον autem fuisse tum cultum, asserit Basilius. *Tomo secundo L. contra Eunomium, p.* 134. Λόγον γὰρ ἤδεισαν οἱ Πατέρες, Λόγον Θεῷ προσεκύνουν, καὶ σωὶ Δόγῳ τὸ Πνεῦμα. Sacrificia etiam illi fuisse oblata, affirmat † Fulgentius *in libro de fide ad Petrum Diaconum, c.* 19. de unigenito Deo Verbo differens, Cui (inquit) cum Patre & Spiritu Sancto, à Patriarchis, à prophetis & sacerdotibus, tempore Veteris Testamenti sacrificabant bruta animalia. Origenes etiam (*in Rom. c.* 10. *Fol.* 200. *A.*) addit Invocationem; Si ergo (inquit) & Enos, & Moses, & Aaron, & Samuel invocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos, sine dubio Christum Jesum Dominum invo-

* Quod verò sequitur dissimulat Curcellæus, scilicet nunc autem ita non est: Sed necessaria est ad salutem Christi cognitio.

† Citatur à Bertramo, § 90.

invocabant.] Sed hæc obiter; redeo ad Chryſoſtomum, cujus verba ſtatim ſequentia, in eâdem paginâ, duriora ſunt fateor, quàm ut benignam interpretationem facile ſubeant. [Sic enim pergit.] Quod autem qui ante Chriſtum obierunt, ac ideo ipſum non cognoverunt, ſi ab idolorum cultu receſſerunt ac Deum ſolum adorarent, ſi præterea vitam honeſtè peregerunt, æterna bona & beatitudinem adipiſcerentur. Audi quid dicat *Paulus, Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum, Judæo primùm & Gentili. Mallem ſanè, de hoc loco Apoſtoli, dixiſſet cum Ambroſio (*in Rom.* 2.10, 11.) ſcilicet oſtendit (Apoſtolus) Judæum ſive Græcum non deſpici à Deo, *ſi tamen credat* in Chriſtum. Verba vera prout ſonant, innuere videntur (ut Sixtus Senenſis notat) opinari Chryſoſtomum, quod Gentilibus & Judæis, ante Chriſti adventum, bene viventibus, nulla in Chriſtum fides, nulla Chriſti cognitio neceſſaria fuerit ad ſalutem.

Sixtus Senenſis dicit eum his negare non omnem ſed cognitionem apertam & diſtinctam, *L.* 6.

* Rom. 2.

Sixtus Senenſis, *L.* 6. Biblioth. §. 51.

Quid

Quid igitur ad hunc locum Chrysostomi dicemus? Resp. Nego illas homilias esse opus Chrysostomi. Negat vetus editio (cui correcta erat Thomas Januensis) quæ in ipso Titulo sic habet, *super Matthæum homiliæ à Venetis* (quum non sint) Chrysostomo malè ascriptæ, ut in calce hujus indicis, dabitur perspici clariùs. Negat etiam Erasmus, non ultimi nominis Criticus; nulla (inquit dubitatio est, hoc opus non esse Chrysostomi. Vide *Erasmum ad Lectorem, in monito addito ad finem Homiliarum* 91. *Chrysostomi.* Certe si genuinum Chrysostomum consulimus, aliter admodum docet, de necessitate fidei, aliter de lege naturæ, aliter de statu, vitâ & operibus Ethnicorum; prout ostendunt sequentia. *Chrysost. in Rom. Hom.* 8. Ὅτι ἕνι σωθῆναι ἑτέρως, ἢ διὰ πίστεως. Idem, *Homil.* 2. *in Genesin, p.* 20. Πίστις χώρεις ἔργων νενεκά ἐστι, καὶ ἔργα χώρεις πίστεως νενεκά εἰσιν. *Chrys. de fide & lege & Spiritu Sancto.* Ostendes quidem multos, qui quamvis sermonem veritatis

veritatis non acceperunt & foris sunt, operibus tamen pietatis, uti apparet, sunt conspicui. Invenies misericordes, compatientes, justitiæ vacantes, sed nullos facientes fructus operum, quia nesciverunt opus veritatis. Idem *in Ephes.* 6. Οὐδὲν ὄφελος ἀγάπης χώρις πίστεως, μᾶλλον δὲ οὐδ' ἂν γένεται ἀγάπη ἑτέρως. Idem, *ad Rom. Hom.* 7. Εἰ μήτε ὁ τῆς φύσεως ὤνησε νόμος, μήτε ὁ γραπτὸς ἐποίησε τὸ πλέον, ἀλλ' ἀμφότερον, τοὺς οὐκ εἰς δέον αὐτοῖς χρησαμένους ἐβάρησαν καὶ μείζονος ἔδειξαν κολάσεως ὄντας ἀξίους, ἀναγκαία λοιπὸν ἡ διὰ τῆς χάριτος σωτηρία. h. e. Si neque naturæ Lex profuit, neque scripta Lex quicquam majus effecit, sed utraque eos gravavit, qui ipsâ non benè usi sunt atque majori supplicio reddidit obnoxios, superest, ut necessaria sit per gratiam salus. Idem, *in Joann. Hom.* 17. Τί οὖν; οὐκ εἰσί, φησι, καὶ Χριστιανοὶ φαῦλα πράσσοντες, καὶ Ἕλληνες ἐν φιλοσοφίᾳ ζῶντες; χριστιανοί μεν ὅτι φαῦλα πράσσοντές εἰσιν, οἶδα κἀγώ· Εἰ δὲ καὶ Ἕλληνες ὀρθῶς βιοῦντες, τοῦτο οὐκ ἤδη οἶδα

Idem *Hom.* 62. *in Gen.*

σαφῶς· Μὴ γάρ μοι τοὺς ἀπὸ φύσεως εἴπῃς ἐπιεικεῖς καὶ κοσμείους, οὐ γάρ ἐστι τοῦτο ἀρετή, ἀλλ' εἶπε πολλὴν ἀπὸ τῶν παθῶν ὑπομένοντα βιὰν καὶ φιλοσοφοῦντα· ἀλλ' οὐκ ἂν ἔχοις· Εἰ γὰρ Βασιλείας ἐπαγγελία καὶ γεέννης ἀπειλὴ καὶ ἄλλη ἐπιμέλεια τοσαύτη, μόλις κατέχουσι τοὺς ἀνθρώπους ἐν ἀρετῇ, σχολῇ γὰν οἱ περὶ μηδενὸς πεπεισμένοι τούτων, μετέλθοιεν ἀρετήν. Ἐι γὲ τίνες καὶ ὑποκρίνονται, δόξης ἕνεκεν τοῦτο ποιοῦσιν. i. e. Quid igitur? Nonne & Christiani malè agentes, & Gentiles viventes philosophicè reperiuntur? Novi quidem ego Christianos malè agentes. Quod autem Gentes benè vivant, nondum mihi constat. Neque Tu dixeris aliquos esse naturâ ipsâ æquos & modestos, non enim id virtus est. Sed loquere de iis, qui multam sustinentes passionum vim, tamen philosophantur. Tales autem non habes: Si enim regni spes, & Gehennæ comminatio, & alia ejusmodi sollicitudo (vel, doctrina) vix homines in virtute continet: Ii qui nihil horum persuasum habent, minime

me virtutem amplectentur; quod si quidam id simulant, gloriæ cupiditate hoc faciunt. Quibus similia, immo paulò graviora, invenire licet apud Theophylactum, *in Joann. c.* 3.

In primis autem perpendatur Homilia Chysostomi septima, in primum caput Evangelii Joannis, *Vers.* 9, 10. Super illa verba [*& Mundus non cognovit illum*] Mundus (inquit:) Id est, peccantium multitudo, terrenis rebus dedita. Nam *omnes Deo chari*, etiam antè Domini adventum in carne, ipsum cognoverunt. Ὅτε τῷ Θεῷ φίλοι καὶ θαυμασοὶ, πάντες αὐτὸν ἐπέγνωσαν καὶ πρὸ τῆς ἐνσάρκου παρουσίας. Et paulò post; καὶ πρὸ τούτου, ἐν τῷ κόσμῳ ἦν, καὶ προνοῶν τῶν ἔργων αὐτοῦ, καὶ γνώριμος τοῖς ἀξίοις ἅπασιν ἦν. id est, Dominus etiam ante adventum suum, erat in Mundo, & operum sive creaturarum suarum curam gerebat, fuitque notus *omnibus*, qui digni erant. Certè quæ à Curcellæo suprà adducuntur ex Homiliâ in Matthæum, ab hisce Chrysostomi dictis in Joan-

nem, adeò immensùm & immanè distant, adeò δὶς διὰ πασῶν discrepant, ut, ex eodem ore illo aureo proveniſſe, neutiquàm ſit aut veriſimile, aut credibile.

§. 5. Venio ad Hieronymum: Is (inquit Curcellæus) *in Commentariis ad Matth. c.* 22. Exponens hæc verba, *Nuptiæ quidem paratæ ſunt*, &c. ſic loquitur; Gentilium populus non erat in viis, ſed in exitibus viarum. Quæritur autem quomodo in his qui foris erant, inter malos, & boni aliqui ſint reperti? Hunc locum pleniùs tractat Apoſtolus ad Romanos, Quod gentes naturaliter facientes ea quæ legis ſunt condemnent Judæos, qui ſcriptam legem non fecerunt. Inter ipſos quoque Ethnicos diverſitas eſt infinita: Cum ſciamus alios eſſe proclives ad vitia & ruentes ad mala, alios ob honeſtatem morum virtute præditos. Eſto; fuerint inter Ethnicos quidem boni comparatè ſic dicti, i. e. minus mali. Benè enim

nim Grotius in locum, Erat (inquit) inter Gentiles ante invitationem Evangelii diſcrimen aliquod. Nam alii laxatis habenis vagabantur, Alii paulò propiùs ſequebantur ductum rationis. Sed cum omnes ad falſorum Deorum cultus, adde & inanis gloriæ ſtudium deflexiſſent, noluit Deus ejus diſcriminis haberi rationem; ſed omnes ut graviter ſontes, unâ veniæ formulâ complexus eſt; quo magis appareret merè gratuiti favoris eſſe hoc donum, οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος, benè notat Theophylactus, ἀγαθὸς intelligendos comparate *. Nam quod minùs malum eſt, bonum vocari ſolet populariter. Concedimus igitur Hieronymo; magnam fuiſſe inter Gentiles diverſitatem, quoad bonitatem vel virtutem civilem ſive moralem; quæ tamen umbra magis erat bonitatis, quàm vera virtus (ut ex Lactantio poſtea videbimus; id quod etiam ſtrenuè probat Gregorius

* *Aug. de C. D. L. 5. c. 13.* Non tam ſancti erant, quàm minus turpes. *Idem, L. 19. c. 25.* (per totum) Non ibi veræ ſunt virtutes, ubi non eſt vera religio.

rius Arimin. *in secundo sententiarum, Distinct.* 26, 27, 28. *qu.* 1. *art.* 1. *p.* 41, 84, 85. Item *Dist.* 38, 39, 42, 43. *qu.* 1. *art.* 1. *p.* 112. *usq; ad p.* 116.) Quin & ipse Hieronymus (*in Habac. c.* 2. *p.* 104.) Quicquid, inquit, ante Christum videbamur habere virtutum bonorumque operum, non erat frumentum, sed hordeum. Idem, *in Galatas, c.* 5. *L.* 2. *p.* 82. Qui in Christo non credunt & sunt probis moribus, aliud quid magis habent, quàm opera virtutum. Idem, *in Ep. ad Heliodorum, T.* 1. *p.* 9. exclamat, O miserabilis humana conditio, & sine Christo vanum omne quod vivimus.

Locus secundus petitur ex Commentariis Hieronymi *ad Gal. c.* 1. *Lib.* 1. *p.* 70, 71. ubi hæc occurrunt. Ille erat Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in Mundum. Ex quo perspicuum est (inquit) omnibus inesse Dei notitiam, nec quenquam sine Christo nasci & non (*non*, delendum videtur) habere semina in se sapientiæ

pientiæ & juſtitiæ. * Unde multi abſque fide & Evangelio Chriſti vel ſapienter faciunt aliqua, vel ſanctis, ut parentibus obſequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant.

* Loquitur hic de Chriſto, quatenus erat æternus Dei Λόγος, qui per creatricem potentiam, ut Author naturæ, omnibus inſeruit ſemina quædam cognitionis tum Dei, tum boni & mali (ut etiam docet Theophylactus, *in Rom.* 2.) ad effectum ſalutare remotè admodum ſe habentia, ſed neutiquam efficacia ad ſalutem, (ut ibidem docet Theophylactus.)

Enimvero quis hæc neget? Vel quid hinc extundi poteſt, in rem Curcellæi? Ideóne ad ſalutem, idque ſine Fide, iis valuere hæc aliqua? Immo potius ad judicium, uti proxima oſtendunt verba: Sequitur enim, —— magiſque Dei judicio obnoxii fiunt, quod habentes in ſe principia virtutum & Dei ſemina, non credunt in eo, ſine quo eſſe non poſſunt. Quæ autem genuina & plena fuerit Hieronymi ſententia, Lectori colligendum relinquo, ex iis quæ ex eo allegantur in *Diſquiſitionis meæ c.* 3. *& c.* 5.

Quibus adde si placet sequentia. *Hieron. in Rom.* 2. *p.* 119. Quis enim dubitat tam sub Lege positos, quàm sine Lege degentes, nisi Christum crediderint, perituros? (Idem *Hier. in Zechar.* 8. 10. Merces hominum non erat, nec merces jumentorum:) Prius quàm (inquit) fidem Christi quis recipiat, & in eo Spiritus Sancti fundamenta radicantur, nullus audire poterit, Est merces operi tuo; sive ille Judæus sit, sive hæreticus, sive Gentilis, Quicquid boni operis fecerit; nisi in Christi nomine fecerit, mercedem sui operis (æternam scilicet) non habebit. Videmus hæreticorum Virgines, philosophorum rigorem, Judæorum in escarum varietate observantiam; & tamen dicimus, juxta Haggæum, quod comedant & non satientur, bibant & non inebrientur, operiantur sed non calescant, & qui mercedes congregat, mittat eas in sacculum pertusum. *Hieron. in Matth.* 19. *p.* 27. Non dixit, *Qui reliquistis omnia*; hoc enim

enim & Socrates fecit philosophus, & multi alii divitias contempserunt; sed, *Qui secuti estis me*, quod propriè est Apostolorum & Credentium. Idem, *in Matth.* 25. *p.* 35. Qui autem fidem non habuerit, etiam cæteras virtutes quas videbatur possidere, perdet. Et eleganter etiam, quod videtur (inquit) habere, auferetur ab eo: Quicquid enim sine Christi fide est, non ei debet imputari, qui malè eo abusus est. Idem, *in Ecclesiasten*, *c.* 10. *p.* 41. Lege Platonem, Aristotelis revolve versutias, Zenonem & Carneadem diligentius intuere, & probabis verum esse quod dicitur, *Labor stultorum affliget eos.* Veritatem quidem illi omni studio quæsierunt, sed quia non habuere Ducem & prævium itineris, & humanis sensibus rati sunt se comprehendere posse sapientiam, ad civitatem (Dei nempe) minime pertinuerunt. Idem, *in Ezechiel. c.* 13. *p.* 184. Pythagoras & Zeno (à quo Stoici,) Indorum Brachmanes & Æthiopum Gymnosophistæ,

qui

qui ob victûs continentiam, miraculum suis Gentibus tribuunt, rectè dicuntur parietem linere, & aliquam fortitudinem polliceri. Sed quia Christi non habent condimentum, vanus est eorum labor, & peritura ædificatio. Nisi enim Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant qui ædificant illam. Idem, *in Matth. c.* 13. *p.* 19. Illa (i. e. philosophorum) doctrina, cum creverit, nihil mordax, nihil vividum, nihil vitale demonstrat, sed totum flaccidum, marcidúmque & mollitum, ebullit in olera & in herbas, quæ citò arescunt & corruunt.

§. 6. Progredior autem ad S. Augustinum; Quem etiam in præsidium sui dogmatis accersit Curcellæus. At quâ fronte, eximium hunc Patrem in suas partes trahere conatur, qui centum in locis ei ex diametro apertissimè adversatur, ipse viderit. Allegat tamen Augustini Epistolam ad Deogratias, (*Ep.* 49. *p.* 126.) ubi in responsione ad secun-

ſecundam quæſtionem, ſic loquentem inducit; Ab exordio generis humani, quicunque in *Deum* crediderunt, eúmque utcunque intellexerunt, & ſecundùm ejus præcepta piè & juſtè vixerunt, quando libet & ubi libet fuerint, per *eum* proculdubio ſalvi facti ſunt. Imprimis autem Curcellæum hîc, falſæ lectionis reum poſtulo; nam pro [*eum*] *Deum* ſuppoſuit. Neque enim (in Frobenianâ editione) Auguſtini verba ſic ſe habent [quicunque in *Deum*] ſed [quicunque in *eum*] crediderunt. *In eum?* h. e. In Chriſtum, Dei verbum & filium — qui ſe in carne de Virgine acceptâ, moraliter mortalibus monſtravit —— Idem ipſe Filius Dei, Patri coæternus & incommutabilis ſapientia, per quam creata eſt univerſa natura, & cujus participatione omnis rationalis anima fit beata (ſtatim vero ſequuntur verba à Curcellæo prolata: ſcilicet) Itaque ab exordio humani generis, quicunque in eum (ſcilicet eum Chriſtum & Filium

lium Dei) crediderunt, eumque utcunque intellexerunt, *&c.* Patet igitur pronomen relativum [*eum*] referri ad Chriſtum: Patet (inquam) ex proximè antecedentibus; Patet ex occaſione ipſius Quæſtionis, quæ movebatur de ſero Chriſti adventu ad Mundi ſalutem; Patet ex proximè & immediatè ſubjunctis. Sic enim pergit S. Aug. —— Sicut enim nos in *eum* credimus & apud Patrem manentem, & qui in carne jam venerit: Sic credebant in *eum* Antiqui, & apud Patrem manentem, & qui in carne jam venerit. Nec quia pro temporum varietate nunc factum annunciatur, quod tunc futurum prænunciabatur, ideo fides ipſa variata, vel ſalus ipſa diverſa eſt. [Neque gravabor hîc ſubjungere, quæ paulò poſt ſequuntur, *P.* 127. poſt literam *B.*] — Ab initio humani generis, aliàs occultiùs, aliàs evidentiùs, ſicut congruere temporibus divinitùs viſum eſt, nec prophetari deſtitit (Chriſtus nimirum & futurus ejus adventus, & per eum

eum ſalus,) nec qui in eum crederent, defuerunt, ab Adam uſque ad Moſen & in ipſo populo Iſrael, qui ſpeciali quodam myſterio Gens prophetica fuit, & in aliis Gentibus, antequam veniſſet in carne. Cum enim nonnulli commemorantur in Sanctis Hebraicis libris, jam ex tempore Abrahæ, nec de ſtirpe carnis ejus, nec ex populo Iſrael, nec ex adventitiâ ſocietate in populo Iſrael, Qui tamen hujus Sacramenti (ſcilicet de Chriſto redemptore futuro) participes fuerunt; cur non credamus, etiam in cæteris hâc atque illâc Gentibus, aliàs Alios fuiſſe, quamvis non, eos commemoratos, in iiſdem authoritatibus, legamus? Ita, ſalus religionis hujus, per quam ſolam veram ſalus vera veraciterque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit, & ab exordio propagationis humanæ, uſque in finem, quibuſdam ad præmium, quibuſdam ad judicium prædicatur. En mentem Auguſtini! En

Jobum intelligit.

En sinceritatem (scilicet) & fidelitatem Curcellæi. Sed neque minus infeliciter ei cedit locus secundus ab eo citatus, ex *Libro* 18. *de C. D. cap.* 47. ut liquide constat ex dictis in Disquisitione meâ, *cap.* 3. (instantiâ tertiâ, scilicet Jobi) ubi integer locus ita repræsentatur, ut pudorem, & ruborem, contrarium sentientibus possit incutere.

§. 7. Ultimum è Patribus producit Curcellæus Theodoretum *(in Rom.* 2.) in hæc verba. Similiter (inquit) & Judæos & Græcos, & iniquè agentes puniet, & pietatis atque justitiæ curam agentes coronis dignabitur. Græcos autem nunc vocat, non eos qui ad divinam prædicationem accesserunt, sed eos qui ante divinam incarnationem fuerunt. Non autem iis vitam æternam *pollicitus* est, qui idola adorârunt, sed iis qui extra legem quidem Mosaicam vitam egerunt; pietatem autem Deique cultum amplexi sunt, & justitiæ curam gesserunt.

runt. Iſte Liber non eſt quidem mihi in manibus ut conſulam; Reſpondeo verò, Quæ adducuntur è Theodoreto, ex Auguſtini dictis ad Deogratias, modò allatis, ſatis benignum ſenſum nobiſque minime infeſtum, admittere poſſunt; neque enim excluditur hîc fides ſed potius includitur. Loquitur enim de Ante-evangelicis, etiam extra Legem Moſaicam; & ſub vitæ æternæ pactefactionibus & pollicitationibus, de gentibus, & pietatem colentibus; quæ ſane pietas, à verbo Dei & à fide, ſejuncta (ſiqua Auguſtino, aut Lactantio fides) nulla eſt.

Agit etiam de iis quibus *pollicitus* eſt (Deus) vitam æternam. At verò juxta Curcellæum, Deus nulli alii cultui (vel religioni) præterquam Chriſtianæ promiſſionem fecit vitæ æternæ, unde illam obtinendi ſpes oriri queat, (*P.* 928. *n.* 26.) Item (*P.* 920. *n.* 4.) Deum (aſſerit) nullibi apertè declaraſſe in Sacris Literis, ſe ejuſmodi homines (ſcilicet

licet qui nihil audierunt de Christo aut Evangelio) vitæ æternæ participes facere velle ; Quam (inquit alibi, *P.* 453. *n.* 12.) nec promisit iis (Deus) neque dare tenetur. Ipse Theodoretus, alibi docet, Fidem prorsus exigi in ordine ad salutem. Sic enim invenio citatum, Theodoretum *in Galatas* 3. 22. Διήλεγξεν ἡ θεία γραφὴ, τοὺς μὲν τὴν τῆς φύσεως, τοὺς δὲ τὴν Μωσαικὴν παραβαίνοντας. Ἀλεξιφάρμακόν δὲ, καὶ τούτοις κἀκείνοις, τὴν ἐπηγγελμένην διὰ τῆς Πίστεως προσενήνοχε σωτηρίαν. i. e. Scriptura Dei convincit utrosque, tum eos qui ante legem erant, quàm eos qui sub lege, esse transgressores, offerens salutem fide promissam, in remedium tum his tum illis.

§. 8. Post Patres & proceres Ecclesiæ, ad quosdam sequioris ævi neotericos descendit Curcellæus, Abulensem nominans, Erasmum, Jacobum Fabrum Stapulensem, Ludovicum

vicum Vivem *, Zuinglium †, *&c.* De his vero, nondum canitie suâ venerandis, non est quod multùm laboremus. Cum Jacobo Fabro Stapulensi, vereor ut fideliter agat Curcellæus: Is enim directè ei adversatur, in expositione suâ in Epistolam Joannis primam, *C.* 5. *Vers.* 12, 13. Cujus verba non pigebit ascribere; Nec quisquam (inquit) hâc vitâ vivere potest in Patre, nisi hanc vivat in Filio & per Filium. Ideo subnectit Joannes, *Qui habet Filium habet vitam.* Qui habet, id est, qui credit in Filium, habet vitam æternam: Et ex opposito, qui Filium Dei non habet, non habet vitam æternam. [Et *in Vers.* 13. Hæc scribo vobis ut sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei] sicut (inquit) Incarnatio Filii Dei necessaria fuit ad finem

* Ludovicum Vivem, notavit Montacutius noster (*Apparatu* 1. § 80.) eum scilicet ultra Erasmum & Andradium, progressum esse in castra Pelagianorum, non ut exploratorem sed ut transfugam.

† Jac. Laurentius excusat Zuinglium, qua hypotheticè tantùm loquentem Rod. Gualterii in apologiâ pro Zuinglio refert eum retractasse hanc opinionem.

creationis Mundi, ita fides, id est, à Spiritu Dei infusa credulitas in Filium Dei, est necessaria. Quia sicut vita æterna non datur nobis in Patre, nisi mediante Filio: Sic vita æterna non datur in Filio, nisi mediante Spiritu Sancto, id est, sine fide. Si non habes vitam in Filio, non habes in Patre, si non credis in Filium, non habes vitam in Filio. Idem, *in secundam Joannis Epistolam, Vers. 9. Omnis qui recedit,* &c.] Multæ (inquit) hominum sunt, multæ Mundi, Doctrinæ, & multæ Dæmoniorum; sed illa unica Christi & Evangelica necessaria est ut Patrem & Filium habeamus in nobis manentes, Dicente Domino, (scilicet *Joann.* 14. 23.)

§. 9. Atque ita præmissâ & peractâ leviori hâc velitatione gradum jam promoveo ad agmen novissimum, ad robur & fiduciam adversarii, ad Triarios (ubi acrior acies & impetus nobis est expectandus) scilicet ad Justinum Martyrem, ad Cle-

Clementem Alexandrinum, cui addit insuper D. Baxterus, Lactantium. Imprimis igitur nobis salutandus & vindicandus est Justinus, Philosophus & Martyr, ἀποστόλων μαθητὴς, καὶ διδάσκαλος ἐθνῶν, prout scripsum vocat (*Epist. ad Diognetum*, p. 501.) Quid autem ille? Objicitur locus primus, *ex Apol.* 1. *p.* 48. ubi Christum dicit, à Socrate ex parte fuisse agnitum. Χριστῷ τῷ καὶ ἀπὸ Σωκράτους λόγου μέρους γνωσθέντι. Esto: quid inde? Num Socratem fuisse salvum asserit salute æternâ? Nullibi sané. Num sine Christo salvum? Multo minus: Utpote cui cognitionem Christi, ἀπὸ μέρους, id est, ex parte, attribuit. Rex Agrippa credidit Prophetis de Messiâ vaticinantibus; Immò ipse se fatetur ἐν ὀλίγῳ χριστιανόν. Ideóne salvus? Act 26. 18. ullatenùs, nisi Christianus fieret καὶ ἐν πολλῷ, uti liquet ex voto Apoloi, *Vers.* 19. Rectè Petrus Lan- Apol pro ellius, Levem quandam & umbra- Justino M. lem tantum Dei veri, Christique c. 1 p 52c. Domini cognitionem potuerunt habere

bere philosophi, non veram & germanam. Illéne Socratem salvum, quem morientem incertum & dubitanter admodum loquentem *, refert, (*Paræneſ. p.* 33. *d.*) immò ignorantem ſtatus futuri? Ille Socrati ſalutem, qui ne Patriarchis quidem aut eorum poſteris eam conceſſit, niſi per fidem & cognitionem myſteriorum Dei? Uti patet ex *Dial. cum Tryph. p.* 263. *a.* Οὐδεὶς γὰρ ἐκείνων ἐδαιμόνισεν λαβεῖν ἔχειν, πλὴν οἱ τῇ γνώμῃ ὁμοιωθέντες τῇ πίστει τοῦ Ἀβραὰμ καὶ ἐπιγνόντες τὰ μυστήρια πάντα; id eſt, Nemo enim (etiam Patrum) illorum ullâ ex parte accipere poteſt, (i. e. promiſſa bona & hæreditatem cœleſtem) exceptis illis qui in animis ſuis fide Abrahæ exæquati fuerunt, & myſteria omnia (quatenus ſcilicet tunc patefacta) cognoverint? Illéne homines ſine Chriſto ſalvos docere putandus, qui & in Apologiâ & in Dialogo id maxime agit, ut Chriſtianiſmi, id eſt, Chriſti & fidei in Chriſtum evincat neceſſitatem, eoque

* Vide Apologiam Socratis (in Platone) verba ultima, *pag.* 31.

que tum Judæos tum Gentiles adducat ad fidem? Credat Judæus apellæ, non ego.

Objicitur secundò, Locus ex apologiâ secundâ (quæ tamen prior tempore, licet non ordine,) *Pag.* 83. Ubi dicit Christum primogenitum Dei & Rationem & Verbum esse, οὗ πᾶν γένος ἀνθρώπων μέτεσχε, id est, Cujus universum genus humanum est particeps. Resp. Idem asserit & Theophylactus & Hieronymus quos tamen soli Christo & fidei & gratiæ salutem ascribere, multis probare poteram. *Theophyl. in Joann. c.* 1, 3, 4. *pag.* 561. Πάντες γὰρ ἄνθρωποι, καθ' ὃ νῦν ἐλάβομεν καὶ λόγον παρὰ κτίσαντος ἡμᾶς Λόγου, κατὰ τοῦτο λεγόμεθα ἀνωτισθῆναι ὑπ' αὐτοῦ. Hieronymum supra dedimus.

Montacutius noster, scribit Justinum neophytum & statim post conversionem ejus, hæc scripsisse, (uti constat ex operis præfatione) posteà vero meliora sensisse. *Montacutii Act. & monumenta, c.* 1. §. 85.

Loquitur scilicet uterque de Christo ut æterno Λόγῳ, animæ creatore, & Rationis largitore.

Objicitur tertiò, ex eâdem paginâ, Καὶ οἱ μετὰ λόγου βιώσαντες, χρηστιανοί εἰσι, κἂν ἄθεοι ἐνομίσθησαν, οἷον ἐν Ἕλλησι μὲν Σωκράτης καὶ Ἡράκλειτος; id est, Quicunque cum ratione vixere, quamvis Athei habiti, Christiani sunt; quales inter Græcos fuere Socrates & Heraclitus. Resp. Justinus nihil aliud his dictis insinuare videtur, quàm quod quicunque secundùm rationem vixêre; *Eatenus* Christiani fuerint. * Quæ sanè, me quod attinet, nunquam negatum ibo. Ratio enim (ut Tertullianus inquit) est Res Dei, immo & Res Christi, σπέρμα καὶ μίμημα τοῦ λόγου Θεοῦ (ut sæpe innuit Justinus,) immo etiam Lux Dei & Christi; uti supra Theophylactus, & eo antiquior, Tatianus,

* Eodem sensu accipienda sunt (*Apol.* 1. *pag.* 51.) Ὅσα φιλοσοφίᾳ παῖσι καλῶς εἴρηται, ἡμῶν ἐστὶν χριστιανῶν δόξα. i. e. Quæcunque apud omnes recte sunt dicta, nostra Christianorum sunt; utpote μέρος τῆς ἀπλουστικῆς λόγου Θείου (ibidem.) Eodem spectant verba Minutii, cum dicit, Expositi opiniones omnium fere Philosophorum, quibus illustrior gloria est, Deum unum, multis licet designasse nominibus. —— Ut quivis arbitretur, aut nunc Christianos Philosophos esse, aut Philosophos tunc fuisse Christianos.

152. Ὁ λόγος μέν ἐστι τὸ τοῦ Θεοῦ
ῶς. *Theodoret. de providentiâ, L. 9.*
197. Τὸ θεόσδοτον τοῦ λόγου δῶρον.
asil. Epist. 188. *p.* 970. Τοῦ Θεοῦ δῶ-
ν, τὸν λογισμὸν λέγω τὸν σώφρονα. *E-*
charmus Comicus apud Clementem,
τρωμ. 4. *p.* 545. Ὅγε τ' ἀνθρώπου
όγος πέφυκε ἀπὸ τοῦ Θεοῦ λόγου. *Sic*
Theophyl. in Joann. c. 1. *p.* 563.
σον τὸ ἐφ' αὐτὸν φωτίζει (ὁ Λόγος, ὁ
ος.) εἶπε γάρ μοι, οὐ πάντες λογι-
ί; οὐ πάντες φύσει γινώσκοντες τὸ κα-
ὸν καὶ τοὐναντίον; οὐκ ἔχοντες δύναμιν
ννοῆσαι ἀπὸ τῶν κτισμάτων τὸν κτίστην;
τε ὁ λόγος ὁ δοθεὶς ἡμῖν καὶ παιδαγω-
ῶν ἡμᾶς φύσει, ὃς καὶ φυσικὸς νόμος κα-
εῖται, οὗτος ἂν κληθείη φῶς, τὸ δοθὲν
μῖν παρὰ Θεοῦ; id est, Quantum ad
ɔsum attinet, illuminat omnes. Dic
nim obsecro, nonne omnes ratio-
ales sunt? Nonne omnes naturâ
cientes bonum & malum? Nonne
mnes habent virtutem, ex creatu-
is cognoscendi creatorem? Ratio
aque data nobis & natura nos in-
truens, quæ & naturalis Lex voca-
ur, hæc vocata est Lux nobis à

Deo data. Adde etiam quæ ſupra dedimus *ex Theophyl. in Rom.* 2. ſcilicet *cap.* 5. Diſquiſitionis meæ, Ratione ſecundâ.

Apol. 1. p. 46. c. p. 48. c.

Quod ad Juſtinum, concedit is quidem Philoſophis & Politicis σπερματικῶς λόγῳ τὸ μέρος — κατὰ τὸ ἀνθρώπινον. Addit autem, ὃ πάντα τὰ τοῦ λόγου ἐγνώρισαν, ὅς ἐστι Χριστός· καὶ ἐναντία ἑαυτοῖς πολλάκις εἶπον; id eſt, Non omnia quæ rationis (aut verbi) ſunt (id quippe Chriſtus eſt) perviderunt, cum diverſa à ſeipſis & contraria ſæpe dixerunt. Chriſtianos interim aſſerit κατὰ τὸ τοῦ παντὸς λόγου, ὅ ἐστι Χριστός, γνῶσιν καὶ θεωρίαν εἶναι; i. e. Secundum Univerſalis Rationis & Verbi, quod Chriſti eſt, notionem & contemplationem vivere. Item, P. 48. *b.* Μεγαλειότερα τὰ πάσης ἀνθρωπείας διδασκαλίας φαίνεσθαι, τὰ ἡμέτερα διὰ τοῦτο λογικὸν τὸ ὅλον τὸ φανέντα δι' ἡμᾶς Χριστὸν γεγονέναι, καὶ σῶμα, καὶ λόγον, καὶ ψυχήν. i. e. Longe ampliores eſſe res noſtras doctrinis humanis omnibus conſtat, ob id, quod qui noſtrâ causâ apparuit

Conſule. Reverendum D. Cave, in vitâ Juſtini, p. 156.

Apol. 1. p. 46. d.

uit Christus, rationalis universali-
er factus est, corpore, ratione, &
nimâ.

Objici solet quartò, *Ex Apol.* 1.
.51. Dictum illud, scilicet, Οὐκ ἀλ-
ότρια εἶναι τὰ Πλάτωνος δόγματα, τοῦ
Χριστοῦ; i. e. Non aliena esse à Chri-
to Platonis (aliqua scilicet) dog-
nata. Resp. Idem dixêre & alii,
paganorum saluti nullatenus faven-
es. Citat Lansellius Eusebium (*L.*
. Εὐαγγελικῆς παρασκ.) etiam Theo-
doretum explicantem Platonis lo-
um ex Epinomide, περὶ τοῦ Λόγου
τὰ πάντα διακοσμοῦντος. Item, ex
nente Platonis Tria fuisse ὑπερχρό-
ια καὶ ἀΐδια, τ' ἀγαθὸν, καὶ νοῦν, καὶ
πάντος τὴν ψυχήν· ὅν μὲν ἡμεῖς (inquit
Theodor.) Πατέρα καλοῦμεν, τ' ἀγα-
θὸν ὀνομάζει. Νοῦν δὲ, ὃν ἡμεῖς Υἱὸν καὶ
Λόγον προσαγορεύομεθα. Utrùm ve-
ò idem fuerit Platonis Νοῦς, &
Christianorum Λόγος, dispiciant do-
ctiores. Vide è nostratibus Reve-
endum Episc. Lincolniensem, D.
Tenisonum in Libro Anglico, *de*
Idolo-

Ἑλληνικ. παθημ. θεραπ. 2.

Idololatriâ, *c.* 5. *p.* 77, 78. & *c.* 15. *p.* 398, 399, &c.

§. 10. Justinum quod attinet; non mirandum si Philosophus ipse & Platonicus, De principe (immò secundùm Labeonem de Semideo *) Philosophorum, hæc dicat in Platonis gratiam. Quod vero ad causam, quæ est præ manibus, quid Justinus ipse senserit, videre est *in Dialogo cum Tryphone*; ubi postquam dixisset, (*P.* 218.) Ἐσὶ γὰρ ὄντι φιλοσοφία μέγιστον κτῆμα καὶ τιμιώτατον Θεῷ, ὥστε προσάγῃ καὶ σωίζειν ἡμᾶς, (i. e. Est enim reverâ Philosophia maximum bonum & Deo gratissimum, quippe quæ sola nos ad illum adducat, eique commendet:) Postquam ostendisset, quomodo adhuc Ethnicus, Philosophiæ Platonicæ se tandem dederat; ubi (ut enarrat, *P.* 219. *c. D.*) Μὲ ἦρξ σφόδρα ἡ τῶν ἀσωμάτων νόησις καὶ ἡ ἀτωρία τῶν ἰδεῶν ἀνεπτέρωσε μοι τὸ φρόνημα, ὀλίγου τε ἐντὸς χρόνου ὤμην σοφὸς γεγονέναι καὶ ὑπὸ ἐλπίδα ἦλθον ἀυτίκα κατόψεσθαι τὸν Θεόν;

* Aug. de C. D. *L.* 8. *c.* 13.

ν; i. e. Valde me delectabat Incorporeorum notio & idearum contemplatio, mentem meam quaſi alis ibuſdam altius evehebat; illicoe Deum me perſpecturum eſſe, *ſtultam perſuaſionem* ſperabam: ndem vero edoctus, ab homine rendi ſed ignoti vultus, de Proetis, qui Philoſophis omnibus vetiores, ὅτοι μόνοι τὸ ἀληθὲς καὶ ὂν καὶ ἀξεῖπον ἀνθρώποις, (i. e. qui quid in vero eſſet, & viderunt hominibus renunciarunt;) poſtam exinde animum appuliſſet ad ophetarum lectionem & Chriſtiam doctrinam, memorabili hoc cto, expertus concludit; ſcilicet, ύτῳ μόνῳ ἔυρεσιν φιλοσοφίαν ἀσ- Pag. 225. c.
ῆ τε καὶ σύμφορον; i. e. Hanc ipſam *am* comperi eſſe certam atque ilem philoſophiam. De cætero ero, Juſtinum (ſi modo ſibi ipſi um conſtare velimus,) ſaluti Ethcorum aliorumve, per ſolius natue vires, legem lumenque patrociari, nemo ut opinor, ſuſpicabitur, ni ſequentia ejus dicta perpenderit;

in

in quibus toti generi humano (*a*) maledictionem, Chriſto omnium redemptionem (*b*,) pœnitentiæ (*c*) denique, & Fidei ſupernaturalis (*d*) neceſſitatem. diſerte aſſerit, (*a.*) *Dial. cum Tryphone, p.* 322. *c.* Καὶ γὰρ πᾶν γένος ἀνθρώπων εὑρεθήσεται ὑπὸ κατάραν ὄν, κατὰ τὸν νόμον Μωσέως, ὅπι κατάρατος γὰρ εἰρηται πᾶς ὃς οὐκ ἐμμένει ἐν τοῖς γεγραμμένοις ἐν τῷ βιβλίῳ τοῦ νόμου, τοῦ ποιῆσαι αὐτὰ, καὶ οὐδεὶς ἀκριβῶς πάντα ἐποίησεν; id eſt, Omne genus humanum maledictioni obnoxium eſſe invenitur, juxta legem Moſis, maledictus enim quiſque dictus eſt, qui non permanet in iis quæ ſcripta ſunt in libro Legis, ut faciat ea, & nemo certè exactè omnia præſtitit (*b.*) Idem *ibidem.* Δι' οὗ (id eſt, Χριστοῦ) σώζει πάντας τοὺς καταράς ἄξια ποιήσαντας; i. e. Per quem (Chriſtum) omnes ſalvat (Deus) qui maledictione digna in ſe admiſerunt. Idem, *literâ d.* Τὸν ἑαυτοῦ Χριστὸν, ὑπὲρ τοῦ ἐκ πάντος γένους ἀνθρώπων, ὁ Πατὴρ τῶν ὅλων τὰς πάντων κατάρας ἀναδέξασθαι ἐβουλήθη; i. e.

. e. Deus, rerum universarum pa-
ens, Christum suum ex omni mor-
alium genere, omnium maledicti-
ones accipere voluit. Idem, *p.* 300.
A. Ὁ (Θεὸς) τοῦτο τὸ σωτήριον (i. e.
τὸ πάθος τοῦ Χριστοῦ) ὑπὲρ τοῦ ἀνθρω-
πείου γένους ποιήσας; i. e. Qui salutare
stud, (sive salutis pretium) (Christi
scilicet passionem) generis humani
ergò instituit.

(c.) Idem, *p.* 263. *c*, *d.* Hortatus
eos operam dare, ut cognoscerent
quâ viâ iis remissio peccatorum con-
ingat, & spes hæreditandi bona
promissa, subjungit, ἔστι δ' οὐκ ἄλλη
ἀυτὴ, ἵνα τοῦτον τὸν Χριστὸν ἐπιγνόντες,
καὶ λουσάμενοι τὸ ὑπὲρ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν,
ἀλλὰ Ἡσαΐου κηρυχθὲν λουτρὸν, ἀναμαρ-
τήτως λοιπὸν ζήσητε; id est, Est autem
non alia quàm hæc, ut *Christo hoc
gnito*, quod ab Esaiâ promulgatum
st, propter remissionem peccato-
um, lavacro abluti, sine peccato
sive sine crimine,) de cætero vi-
vatis. *(d.) Justini paren.* Οὔτε γὰρ φύ-
σις, οὔτε ἀνθρωπίνη ἐννοίᾳ, οὔτε μεγάλα καὶ
θεῖα γινώσκειν ἀνθρώποις δυνάτον, ἀλ-

λὰ

λὰ τῇ ἄνωθεν ἐπὶ τοὺς ἄνδρας τηλικαῦτα κατῃθύσῃ δωρεᾷ; i. e. Neque enim naturâ, neque cogitatione humanâ, tam magna & divina, possunt homines cognoscere; sed dono de sursum tantarum rerum cognitio descendit & derivatur in homines. Idem, *in Epistolâ ad Diognet. pag.* 499. *c.* Ἀνθρώπων δ' οὐδεὶς οὔτε ἰδεῖν οὔτε ἐγνώρισεν (τὸν Θεὸν scilicet) αὐτός δὲ ἑαυτὸν ἐπέδειξεν· ἐπέδειξέ δὲ διὰ πίστεως, ᾗ μόνῃ Θεόν ἰδεῖν συγκεχώρηται; id est, Nemo quisquam hominum neque vidit (Deum) neque aliquam ipsius notitiam habuit: Sed ipse seipsum ostendit. Ostendit autem per fidem, Cui soli Deum videre concessum est. Id quod ipse Plato ejus propemodum fatetur, Teste Theophilo (*L.* 3. *ad Autolycum, p.* 128. *b.*) Δεῖ οὖν μᾶλλον μαθητὴν γένεσθαι τῆς νομοθεσίας Θεοῦ· καθὼς καὶ αὐτὸς ὡμολόγησεν ἄλλως, μὴ δυνάσθαι τὸ ἀκριβῶς μαθεῖν, ἐὰν μὴ ὁ Θεὸς διδάξῃ διὰ τοῦ νόμου; i. e. Oportet igitur nos magis discipulos esse legislationis divinæ, quemadmodum & ipse

ſe (Plato) confitetur, dicens, on exactè poſſe diſci niſi Deus do-uerit per Legem. Quibus adde erba Juſtini, quæ concludunt Pa-eneſin ad Græcos, *P.* 37. *b.* Παν-αχόθεν τοίνυν εἰδέναι προσήκει, ὅτι ὐ-μῶς ἑτέρως περὶ Θεοῦ ἢ τῆς θεοσεβείας ανθάνειν οἷός τε, ἢ παρὰ τῶν προφητῶν όνον, τῶν διὰ τῆς θείας ἐπινοίας διδασ-όντων ἡμᾶς; id eſt, Omnino ſcire portet, nullo planè pacto aliter aut iundè de Deo vel de rectâ religi-ne diſci quicquam poſſe, quàm à rophetis ſolis, qui divinâ inſpirati-ne afflati vos docent & inſtituunt. iceat poſtremò Reverendi erudi-ſſimique viri Doctoris Cave Judi-ium de Juſtino M. in clauſulam ic adhibere; qui in vitâ Juſtini, P. 156.) ſic infit; Nullibi (Juſti-us ſcilicet) aſſerit, Gentiles potu-ſſe ſalvari, niſi per receptam Chri-ianiſmi fidem, vel eorum cogni-onem ullâtenus ſuffeciſſe in hunc nem. Nemo fortius urget aut robat, Rationis aut naturalis phi-oſophiæ ſubſidia, in ſe non ſuffe-

ciſſe

ciſſe ad ſalutem. Illud ſolùm dicit & docet, ſcilicet quod in quantum hi rationem κὴ λόγον ἐνδιάθετον excoluere in uſum & profectum religionis, eâtenus fuerint Chriſtiani & affines æterno & ἀρχετύπῳ Λόγῳ; quòd etiam quæcunq; morum emendatio per rectæ rationis dictamina & hujus λόγου σπερματικῶ monita, fiebat, ſive per Socratem inter Græcos ſive per alios inter Barbaros, Ea facta fuerit quadantenus à Chriſto, à verbo tandem incarnato. Atque hæc hactenus, de Juſtino.

§. 11. Pergo ad Clementem Alexandrinum, virum πολυμαθέςατον & in Eccleſiâ Alexandrinâ Presbyterum & Catechriſtam celeberrimum. In cujus Στρώμασι, ſi pauca quædam occurrant incautiùs dicta, καὶ ὑγιῶς ſonantia (uti notat Photius,*) tamen (ut idem addit) non talia ſunt, qualia feruntur in ejus Hypotypoſibus, ſed ejuſmodi, ut benignam admittant interpretationem, ſanæque fidei & praxi non multùm in-

* Vide D. Cave in vitâ Clementis, p. 198.

commoda. Agedum verò, In-
iciamus in hunc Patrem, idque
on cursim aut leviter, sed intus &
cute. Quoniam verò longum ni-
is esset singulis insistere, quæ in
oc Authore, Ethnicorum saluti per
men vel praxin naturæ, favere pu-
ntur, libet ea seligere, quæ du-
usculè sonare videntur; præmissâ
rius generali dissertatione, circa
dicium Clementis, de re & usu
hilosophiæ. Dicit igitur primo
hilosophiam inter Ethnicos, non à
æmone profectam esse (Στρω. 6.
647.) sed Dei donum fuisse (Στρω.
p. 287. Στρω. 6. *pag.* 669. *b.* 693.
694. *a.* Στρω. 7. *p.* 705. *b.*) Ne-
ne tamen omnem philosophiam sic
udat. Στρω. 1. *p.* 315. *c.* Οὐ μὴν
πλῶς πᾶσαν φιλοσοφίαν ἀποδεχόμεθα.
Στρω. 1. *p.* 272. De Græcâ lo-
uens philosophiâ, ἧς, καθάπερ καὶ
ἐν καρύων, οὐ τὸ πᾶν ἐδώδιμον; i. e. In
uâ, sicut in nucibus, non omne est
culentum. Denique, quid velit
er philosophiam explicat ipse, Στρω.

1. *p.* 288. *b.* Φιλοσοφίαν δ' ἐγὼ τὴν Στωϊκὴν λέγω, οὐδὲ τὴν Πλατωνικὴν, ἢ τὴν Ἐπικούρειόν τι καὶ Ἀριστοτελικὴν, ἀλλ' ὅσα εἴρηται παρ' ἑκάστοις τῶν αἱρέσεων τούτων καλῶς δικαιοσύνῃ μετ' εὐσεβείας ὑπισήμως ἐκδιδάσκοντα, τοῦτο σύμπαν τὸ ἐκλεκτικὸν φιλοσοφίαν φημί; i. e. Philoſophiam non dico Stoicam vel Platonicam, aut Epicuream, aut Ariſtotelicam; ſed quæcunque ab his ſectis rectè dicta ſunt, quæ docent juſtitiam cum piâ ſcientiâ, hoc totum * ſelectam dico philoſophiam †. Hujuſmodi philoſophiam non illibenter concedimus fuiſſe Dei donum. Fatemur etiam cum Clemente, eam fuiſſe ἀμηχέπη, θείας ἔργον προνοίας, (Στρω. 1. *p.* 278. *c.*) id eſt, Aliqua ratione, divinæ opus providentiæ. Sed neque refragamur dicto, rectè intellecto, quod habetur, (Στρω. 6. *p.* 648. *a.*) Τίνι δ' φιλοσοφίαν καὶ μᾶλλον Ἕλλησιν, οἷς διαθήκην οἰκείαν αὐτοῖς δέδοται, ὑποβάθραν

* Hæc philoſophia ἐκλεκτικὴ orta eſt, à Potamone, ut teſtatur *Diog. Laert. in Proœmio, p.* 14.

† Τὸ χρήσιμον ἐκλεξάμενον μόνον τῆς κοσμικῆς φιλοσοφίας. Στρω. 1. *p.* 288. *a.*

ραν ὅσαν τ κ Χριστόν; i. e. Ipsam
hilosophiam Græcis veluti propri-
m datam esse Testamentum, ut quæ
t Christianæ philosophiæ quasi in-
mus gradus (ita enim reddi de-
et ὑποβάθρα: Non fundamentum,
ti vertit Interpres, sed ima scala vel
nus scalæ gradus:) Quæ sanè non
agis castiganda sunt aut culpanda,
uam quod dicit Tertullianus (*L.*
e resurrect.) Præmisit Deus natu-
am magistram, submissurus, & pro-
hetiam, quo faciliùs credas pro-
hetiæ, discipulus naturæ.

Dicit secundò, (Στρω. 1. *p.* 282. *c.*
.) Ἦν μὲν οὖν πρὸ τ τοῦ Κυρίου παρουσίας
δικαιοσύνην Ἕλλησιν ἀναγκαῖα φιλο-
φία· νυνὶ δὲ χρησίμη πρὸς θεοσέβειαν
νεται, προπαιδεία τις οὖσα τοῖς τ πί-
δι' ἀποδείξεως καρπουμένοις —— ἐπαι-
γώγει καὶ ἀντὶ τὸ Ἑλληνικὸν, ὡς ὁ νό-
ος τοὺς Ἑβραίους εἰς Χριστόν· Παρα-
σκευάζει τοίνυν ἡ φιλοσοφία προοδο-
ποιοῦσα τ ὑπὸ Χριστοῦ τελειούμενον; id
t, Erat quidem ante Domini ad-
entum philosophia Græcis necessa-

ria ad justitiam, nunc autem est utilis ad Dei cultum & pietatem, iis qui fidem colligunt per demonstrationem (scilicet ex Scripturis) — nam ipsa quoque Græcos pædagogi more docebat & ducebat, sicut Lex Hebræos ad Christum. Præparat ergo Philosophia, * ei viam muniens, qui à Christo perficitur. Quæ sanè omnia, sano sensu atque uti possunt, intellecta, non video quin sint admittenda. Neque enim aliud mihi velle videtur quàm sapientiæ studium & inquisitionem apud Græcos fuisse quandam quasi præviam præparationem, Christo & Christianismo viam præmunientem; uti seipsum explicat, Στρω. 1. *p.* 309. *d.* Ἀλλ' εἰ μὴ καταλαμβάνει ἡ Ἑλληνικὴ φιλοσοφία τὸ μέγεθος τῆς ἀληθείας, ἔτι δὲ ἐξασθενεῖ πράττειν τὰς κυριακὰς ἐντολὰς, ἀλλ' οὖν γε προκατασκευάζει τὴν ὁδὸν τῇ βασιλικωτάτῃ διδασκαλίᾳ, ἀμηγέπη σωφρονίζουσα καὶ τὸ ἔθος προτυπῶσα καὶ προστύφουσα εἰς παραδοχὴν τῆς ἀληθείας, τὴν πρόνοιαν δοξάζοντα; i. e.

* Prout feliciter accidit in Justino & Ammonio Platonicis, & in Pantæno Stoico.

Sed

Sed si non comprehendit Græca Philosophia veritatis magnitudinem, & est adhuc imbecilla ad mandata Dei agenda, at regali quidem doctrinæ viam præparat, utcunque castigans & mores præformans & ad suscipiendam veritatem corroborans eum qui tenet providentiam. Adeóque Στρω. 6. *p.* 690. porro dicit, οὐκ ἄτοπον καὶ τὴν φιλοσοφίαν ἐκ τῆς Θείας προνοίας δέδοσθαι προπαιδεύουσαν εἰς τὴν διὰ Χριστοῦ τελείωσιν· Ἣν μὴ ἐπαιχμύνῃ γνώσει βαρβάρῳ μαθητεύουσα φιλοσοφία προκόπτειν εἰς ἀλήθειαν; i. e. Non est absurdum datam esse Philosophiam à Divinâ Providentiâ, prius erudientem ad eam quæ est per Christum perfectio; si non erubescat à barbarâ cognitione discere Philosophia profectum ad veritatem.

§. 12. Utilitatem verò Philosophiæ in hunc finem, in duobus ponere videtur; Primò, in eo quod Philosophia; id est, Inquisitio veri (etiam nondum acquisiti) exerceat

& intendat ingenium, mentemque acuat & excitet, γυμνάζουσα τὸν νοῦν καὶ διεγείρουσα τὰς σωλῆνας, ἀγχινοίαν χρυνῶσα ζητητικὴν, (Στρω. 1. *p.* 288. *c.*) Cui usui Dialecticam * etiamnum in Ecclesiâ maximopere commendat, *Pag.* 283. *a.* 319. *c.* 354. *d.* Item, Στρω. 6. *p.* 655. *a*, *c.* Secundò, In eo utilem dicit, quod pro suo modulo animum aliquâtenus purget, tum à vitiis tum ab erroribus & ad meliora assuefacit. Στρω. 7. *p.* 710. Φιλοσοφία ἡ Ἑλληνικὴ, οἷς προκαθαίρει καὶ προετοιμάζει τὸν ψυχὴν εἰς τὴν διδασκαλίαν πίστεως· ἐφ' ἣν ἡ τοῦ γνῶσιν ἐπικοδομεῖται ἡ ἀλήθεια; i. e. Græca Philosophia veluti perpurgat & præparat animam ad fidem recipiendam, super quam veritas ædificat cognitionem. Quòd autem, ἀληθῆ τινα δογματίζουσι καὶ Ἕλληνες, (Στρω. 1. *p.* 314, 315.) probat ex Apostolo citante ex Arato, Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Adde etiam ex Menandro, φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ, ὁμιλίαι κακαί, 1 *Cor.* 15. 33. Idem, testatur etiam *ad Romanos*, 1. 19. Quod

* Vide & Augustinum, contra Cresconium, *L.* 1. *cap.* 13, 14, 15, &c. & *c.* 20. *De usu Dialectica.*

Act. 17.

Quod notum est Dei, manifestum esse in illis. Quod verò ad Clementem spectat, eò liberiùs Philosophiæ patrocinatur, quod non deessent inter Christianos multi, qui καθάπερ οἱ παῖδες τὰ μορμολυκία, οὕτως δὲ δίασι Ἑλληνικὴν φιλοσοφίαν, φοβούμενοι μὴ ἀπαγάγῃ αὐτούς, Στρω. 6. *p.* 655. Neque in hoc ille magis culpandus, quàm Lactantius, qui licet sectas & personas philosophorum parvi penderet, de re ipsâ tamen sic fatur, Philosophia non nocet, immò prodest plurimùm, si religione imbutus est animus, *Lact. Instit. L.* 5. *c.* 1. Sed pergo ad reliqua Clementis: Dicit tertiò, (στρω. 6. *p.* 636.) Καθάπερ Ἰουδαίους σώζεσθαι ἐβούλετο ὁ Θεὸς, τοὺς Προφήτας δίδους· Οὕτω καὶ Ἑλλήνων τοὺς δοκιμωτάτους, οἰκείους αὐτῶν τῇ διαλέκτῳ προφήτας ἀναστήσας, ὡς οἷοί τε ἦσαν δέχεσθαι τὴν παρὰ Θεοῦ ἐνεργεσίαν, τῶν χυδαίων ἀνθρώπων διέκρινε; id est, Sicut Judæos volebat Deus servari, dans illis Prophetas: Sic & Græcorum probatissimos quosque pro-

prios ipsis in suâ linguâ Prophetas (Sibyllas, ut opinor intelligit) excitando, prout ipsi Dei beneficium capere poterant, ab hominum vulgo secrevit. Resp. Aliud est, salus: Aliud discretio ab hominum vulgo. Hanc tantùm Gentilium Prophetis assignat, illam verò Judæis relinquit. Neque tamen diffiteor Clementem alibi etiam Gentilibus salutem ascribere, non per naturæ vires aut legem, sed per fidem quandam posthumam, scilicet conceptam ex prædicatione * Evangelii apud inferos, idque vel per Christum vel per Apostolos (Strom. 6. p. 637. d.) Τὸς Ἀποστόλες ἀκολέθως τῷ κυρίῳ, καὶ ἐν ᾅδε σὺν αὐτῷ ἐλισμένες; i. e. Apostolos, ad instar Domini, iis qui erant apud inferos, annunciasse Evangelium; mortuis

* Notandum, quod quæcunque Clemens (Strom. 6.) docet de salute Gentilium, ut mihi videntur, supponunt fidem & conversionem eorum, factam vel per Evangelium dum in vivis erant, vel per prædicationem apud inferos & mortuos: Prout attente legenti constabit.

scilicet

scilicet non vivis; at non cum effectu sine pœnitentiâ. (*Pag.* 633. *a.* Μετανενοηκότες. *Et literâ B.* ὀξομολογησάμενοι; neque sine fide & conversione. (Ibidem, *literâ C.* Τοὺς ὀξ ἐθνῶν ἐπιτηδείους εἰς ἐπιστροφήν.) Sed in his, singularis ferè * videtur noster Clemens.

* Similia tamen inveniuntur in Origene Cyrillus Alex. & Oecumenius.

contra Celsum, L. 2. Favent etiam huic opinioni

Objicitur quartò, Locus Clementis in στρω. 7. *p.* 705. Ubi hæc habentur; Quocirca præcepta dedit & priora & posteriora, ex uno fonte hauriens Dominus; nec eos qui erant ante legem, sine lege esse, nihili pendens; nec eos qui non audiebant barbaram philosophiam, ferri effrænatos permittens. Nam cum illis quidem præcepta, his vero præbuisset philosophiam, incredulitatem conclusit in adventum; quo tempore est inexcusabilis, quisquis non crediderit. Resp. Quid hinc inferri possit, nondum video, nisi hoc

hoc solum, scilicet quod Deus eos qui extra legem essent non sivit prorsus esse ἀνόμους, sed eis philosophiam præbuerit, non ut sola per seipsum salvaret, sed ut Cupiditates hominum utcunque refrænaret, & quodam quasi capistro cohiberet, ne totum genus humanum, in omnem licentiam, ἀσωτίαν, & meram feritatem erumperet & irrueret. Egregiè verò & apertè, Clementis ibi dicta ultima attestantur necessitati Fidei Christianæ & Evangelicæ, cum dicit, συνέκλεισε (ὁ κύριος) τὴν ἀπιστίαν εἰς τὴν πρόνοιαν, ὅτι ἀναπολόγητός ἐστι πᾶς ὁ μὴ πιστεύων.

§. 13. Objicitur quinto & ultimo, Clementem asserere, Ethnicos fuisse justificatos per philosophiam, (στρω. 1. *pag.* 282. *c.*) Τοὺς γὰρ ἐκ φιλοσοφίας δεδικαιωμένους; i. e. Iis, qui à Philosophiâ fuere justificati. Item, *Pag.* 319. *b.* Καί τοι καθ' ἑαυτὸν ἐδικαίου πότε καὶ ἡ φιλοσοφία τοὺς Ἕλληνας; i. e. Quanquam per se quoque

quoque aliquando Græcos justificabat Philosophia.

Locus sanè vexatissimus, quiq; inter nævos & errata Patris, passim recenseri solet, penitiùs autem rem introspicienti, & Clementem cum Clemente conferenti, aliud fortasse videbitur, quàm quod primâ specie, præ se ferunt verba.

Primò enim, non agit hîc Clemens de justificatione, sensu forensi & Apostolico sumptâ; quatenus scilicet opponitur condemnationi, (ut *Rom.* 8. 23, 24.) sive quatenus constat peccatorum remissione vel non imputatione, (ut *Rom.* 4. 5. 8.) vel restitutione in gratiam Dei & favorem, (ut *Rom.* 8. 9, 10.) Hæc enim justificatio, ubicunque est, plena & perfecta est, pro statu hujus vitæ; nec aliter fit reconciliatio vel redintegratio amicitiæ cum Deo, nisi per plenam & omnimodam remissionem; adeóque hæc justificatio non variatur gradibus, non recipit majus aut minus, sed ab omnibus liberat

rat reatibus. At verò alia prorsus est Clementina justificatio, uti patebit ex verbis ejus, Ἐδικαίου πότε καὶ ἡ φιλοσοφία τοὺς Ἕλληνας, οὐκ εἰς τὸ καθόλου ἢ δικαιοσύνην, εἰς ἣν εὐρέσεως συνεργὸν, καθάπερ καὶ ὁ δεύτερος βαθμὸς τῷ εἰς ὑπερῷον ἀνιόντι, καὶ ὁ γραμματιστὴς τῷ φιλοσοφήσοντι; id est, Græcos justificabat sapientia: Sed non in totum, aut universum, non ad omnimodam justitiam, ad quam (tamen) cooperatrix & adjutrix invenitur, sicut primus & secundus gradus, ei qui ascendit in cœnaculum, vel sicut Grammaticus ei qui est philosophaturus. Ubi philosophiam justificasse asserit, non in totum, aut in universum, sed ex parte tantùm & certo quodam gradu, eoque distanti & remoto, quantum ima scala distat à summa, vel grammatista literarius distat à Philosopho. Πόρρωθεν συλλάμβανει φιλοσοφία, (Στρω. I. *p.* 318.) Philosophia à longè & eminus opem confert inventioni virtutis.

tis. —— Οὐκ αἴτιον, ἀλλὰ σωαίτιον, σωέργον, ἢ σωεκτικὸν, — ὁ μεθ' ἑτέρε ποιῆν, ἄτελες ὂν καθ' αὐτὸ ἐνεργεῖν, (*Pag.*319.*a.*) Philoſophiæ enim concedit tantùm μέρος τι, ἀπαρχὴν τινα, quandam particulam veritatis avulſam, (*P.* 298. *c.*) Καὶ τὰς ὅλης μέρας ἀληθείας, (*P.* 659. *c.*) Καὶ μερικῶς τυγχάνουσαν, (*P.* 656. *b.*) Ad pleniorem vero mentis Clementinæ elucidationem, conſideretur Locus iſte in τρω. 6. *p.* 637. *b.* ubi Judæos & Gentiles ſic confert, Τοῖς μὲν κτ' νόμον δικαίοις ἔλειπεν ἡ πίστις· Διὸ καὶ τέτες ἰώμενος ὁ κύριος ἔλεγεν, πίστις σε σέσωκέν σε· τοῖς δὲ κτ' φιλοσοφίαν δικαίοις, ἐχ' ἡ πίστις μόνον ἡ εἰς τ κύριον, ἀλλὰ καὶ τὸ ἀποζῆναι τ εἰδωλολατρείας ἔδει —— διὸ ὁ κύριος εὐηγγελίσατο καὶ τοῖς ἐν ᾅδε; i. e. Iis qui erant juſti ex lege, fides de erat. Et ideò cum eos curaret Dominus dicit, Fides tua te ſalvum facit. Iis autem qui erant Juſti ex Philoſophiâ, non ſolum opus erat fide in Dominum, ſed etiam ut diſcederent

à cultu simulachrorum — quamobrem prædicavit Dominus iis quoque qui erant apud inferos. Quis non videt hoc in loco, per Justos ex lege intellexisse justè viventes secundum regulam legis Mosaicæ? Itidem per Justos ex Philosophiâ, non justificatione ad vitam & salutem, sed tales qui ex notitiis Philosophiæ, qualemcunque justitiæ partem & gradum sunt assecuti, licet adhuc hærentes, non solùm in infidelitate sed etiam in Idololatriâ? Mihi igitur (perpensis omnibus) placet sententia Petri Lansellii, (in *Apol. pro Justino, p.* 520.) Clementis scilicet, non aliam fuisse mentem, quàm philosophiam juvasse tantum, non autem esse vel fuisse causam δικαιοσύνης, nisi fortè moralis & naturalis.

Pag. 282. Adeóque illud [ὑπὸ φιλοσοφίας δικαιωμένους,] atque illud etiam,

Pag. 319. [ἐδικαίου ὡσπερ ἡ φιλοσοφία,] loquitur scilicet de justitiâ practicâ & qualitercunque inhærente; i. e. de justitiâ vitæ & morum. In hâc sententiâ

me

me porrò confirmat ipse Clemens, [στρω. 6. p. 696. b.] ubi loquitur περὶ γεμματέων καὶ φαρισαίων, τῶν κατ' ἀποχὴν κακῶν δικαιυμένων; i. e. Qui justificabantur per abstinentiam à malis: Cum tamen ipse alibi dicat [scilicet, στρω. 6. p. 665, 666.] Οὐ γὰρ ὁ ἀπεχόμενος μόνον τῆς κακῆς πράξεως, δίκαιος· Ἐὰν μὴ προσεργάζηται καὶ τὸ εὐποιεῖν, καὶ τὸ γινώσκειν δι' ἣν αἰτίαν, τῶν μὲν ἀφεκτέον, τὰ δ' ἐνεργετέον; i. e. Non enim qui solum abstinet à malâ actione, est justus: Nisi addiderit, ut benè faciat, & cognoscat propter quam causam abstinendum quidem sit ab his, illa autem sint agenda. Sicut igitur Pharisæos vocat δικαιυμένους, propter justitiam quandam externam & immunitatem à crassioribus criminibus, quæ ῥιπτῶσι impingunt in legem; ita & Philosophos asserit δικαιυμένους τινὰ φιλοσοφίαν, eò quòd qualemcunque vel quantulumcunque habuerint justitiæ gradum, assecuti sunt eum ex dogmatibus Philosophiæ. Quæ tamen dog-

dogmata (veriora scilicet & saniora) non per seipsos in totum adinvenerunt φιλόσοφοι οἱ ἔξω, sed per commercium cum Ægyptiis, cum Judæis, cum παλαιῷ λόγῳ * cum scriptis & dictis tum Legis tum Prophetarum, hausêre & Pythagoras, & Plato, & Aristoteles; uti passim ostendit cùm Clemens, tùm Justinus M. atque etiam Clariss. Huetius (in demonstratione Evangelicâ) & eruditus noster Morus (in conjecturâ suâ Cabbalisticâ.)

* Vide Justini Paræn. p. 24. B.

Στρωμ. L. 6. p. 642. D. p. 662. B.

§. 14. Libet verò hîc coronidis loco, varia Clementis Alex. dicta attexere, quibus sufficientiam detrahit philosophorum, seu cognitioni, seu virtutibus, aut soli Christo, & Fidei, & γνώσει supernaturali, salutem defert. Prioris generis sunt ista: Στρω. 1. p. 296. c. Νήπιοι οἱ φιλόσοφοι, ἐὰν μὴ ὦσι τοῦ Χριστοῦ ἀπανδρωθῶσιν; i. e. Parvuli sunt, infantes sunt Philosophi, nisi à Christo viri fiant. Στρω. 6. p. 675. b. Κατὰ Πλάτωνα, ἡ φιλία τοῦ Θεοῦ

Θεοῦ, ἢ παρὰ τῶν ἐκγόνων τοῦ Θεοῦ, τὸ ἀλη-
θὲς ἐκμανθάνειν μόνως οἷός τε; i. e.
ex Platonis sententiâ, aut à Deo aut
ab iis qui à Diis originem duxêre,
verum solùm disci potest. στρω. 1.
p. 315. *b*, *c*. Διὰ τοῦ ἀγνώστου Θεοῦ,
(*Act.* 17.) τιμᾶσθαι μὲν κατὰ περίφασιν
πρὸς τῶν Ἑλλήνων, τὸν δημιουργὸν Θεὸν ἠ-
ξάτω· κατ' ἐπίγνωσιν δὲ δεῖν δι' υἱοῦ
παραλαβεῖν τε καὶ μαθεῖν; i. e. Per
ignotum Deum, honorari quidem à
Græcis, per ambages & circumlocu-
tionem, opificem Deum, significa-
vit (Apostolus:) Ex agnitione ve-
ro, oportere per Filium accipere &
discere. στρω. 6. *p*. 636. *b*. Ὅτι δὲ οὐ
κατ' ἐπίγνωσιν ἴσασι τὸν Θεὸν, ἀλλὰ κατὰ
περίφασιν Ἑλλήνων δοκιμώτατοι, Πέ-
τρος ἐν κηρύγματι λέγει; i. e. Quod
autem Græcorum præstantissimi De-
um norunt non per agnitionem,
sed per qualem & qualitercunque
ejus manifestationem, dicit Petrus
in Prædicatione (libro scilicet sic
dicto.) Idem, στρω. 6. *p*. 643. *a*.
Οἱ φίλοσοφοι, ζωγραφίας δίκην ἀπομι-

μῶνος τὴν ἀλήθειαν· Φιλαυτία δὲ πάντων ἁμαρτημάτων αἰτία ἑκάστοτε; i. e. Philosophi instar picturæ, imitantur veritatem. Philautia autem sive nimius sui amor, est semper quibuslibet causa peccatorum omnium. στρω. 6. p. 649. c. ἡ μὲν ἔτι φιλοσόφων (θεωρία) ὀρέγεται μὲν τῆς θείας ἐπιστήμης, οὐδέπω δὲ τυγχάνει, ἢν μὴ μαθήσει παραλάβῃ, σαφηνισθεῖσαν αὐτῷ τὴν προφητικὴν φωνήν. i. e. Ea quidem contemplatio quæ adhuc est philosophorum, divinam appetit scientiam, nondum autem assequitur, nisi per disciplinam acceperit vocem propheticam sibi declaratam. Idem, P. 675. b. Ἡ γοῦν Φιλοσοφία, πρόνοιαν καταγγέλλουσα καὶ τοῦ μὲν εὐδαίμονος βίου τὴν ἀμοιβήν, τοῦ δ' αὖ κακοδαίμονος τὴν κόλασιν, περιληπτικῶς θεολογεῖ· τὰ πρὸς ἀκρίβειαν δὲ, καὶ τὰ ἐπὶ μέρους, οὐκ ἔτι σώζει, οὐ γὰρ κατὰ τὴν Θεὸν ἔγνω θρησκείαν; i. e. Ipsa Philosophia quæ annunciat providentiam, & beatæ vitæ remunerationem, miseræ autem punitionem, summatim Theologiam effert: Quæ autem

utem accuratè & exactè traduntur
& quæ sigillatim habentur, ea utique
non servat. Non enim novit reli-
gionem quæ est secundùm Deum.
-ρω. 6. *p.* 688. *c*, *d*. Οἱ Φιλόσοφοι τῶν
Ἑλλήνων, Θεὸν ὀνομάζοντες, οὐ γινώσκου-
σι, ἐπὶ μὴ σέβουσι κατὰ Θεὸν τὸν Θεόν ——
λίγον τοῦ παντὸς εἰδότες; i. e. Græci
Philosophi Deum non cognoscunt,
quem nominant, quoniam Deum
nequaquam colunt secundùm De-
um —— cum parum noverint de
toto. Idem, *P.* 689. *c*, *d*. Οὔκουν
τότε, τὰς ἐπὶ μέρους ἀληθείας, καθ' ὧν ἡ
ἀλήθεια κατηγορεῖται, αὐτὴν δὲ τὴν ἀλή-
θειαν πολυπραγμονητέον, οὐκ ὀνόματα
ἐπιτοῦντες μαθεῖν· ἐπεὶ τοίνυν δύω εἰσὶν
ἰδέαι τῆς ἀληθείας, τὰ τὲ ὀνόματα καὶ τὰ
πράγματα, οἱ μὲν τὰ ὀνόματα λέγου-
σιν οἱ περὶ τὰ κάλλη τῶν λόγων δια-
τρίβοντες οἱ παρ' Ἕλλησι Φιλόσοφοι. Τὰ
πράγματα δὲ παρ' ἡμῖν ἐστὶ τοῖς βαρβά-
ροις; id est, Non eæ quæ sunt in
parte veritates, de quibus prædica-
tur veritas, sed ipsa veritas, est mag-
nâ curâ & studio indaganda, non

autem sola nomina. —— Quoniam verò duæ sunt ideæ sive species veritatis, nempe nomina & res, alii quidem dicunt nomina, qui in ornatu & elegantiâ versantur sermonis, cujusmodi sunt apud Græcos Philosophi. Res autem sunt apud nos barbaros. Idem, P. 690. *b.* Ἐπεὶ καὶ οἱ κόρακες ἀνθρωπείας ἀπομιμοῦνται φωνὰς, ἔννοιαν οὐκ ἔχοντες τοῦ λέγουσι πράγματος· Ἀντίληψις δὲ νοερὰ, πίστεως ἔχεται· Οὕτως καὶ Ὅμηρος εἶπεν.— Πατὴρ ἀνδρῶντε Θεῶντε· Μὴ εἰδὼς τίς ὁ Πατὴρ καὶ πῶς ὁ Πατήρ; i. e. Nam corvi quoque voces humanas imitantur, cum ejus rei quam dicunt, nullam habent notitiam. Ita etiam dixit Homerus. —— Hominum Pater atque Deorum; nesciens quisnam sit Pater vel quomodo Pater. Idem, στρω. 5. *p.* 581. *c.* Ὅρας πῶς τὸ γνωστικοῦ βίον, Ἕλληνες, καὶ τοὶ μὴ εἰδότες ὡς ἐπίστασθαι χρὴ, ἐκθειάζουσι· Τίς δὲ ἐστιν ἡ γνῶσις, οὐδὲ ὄναρ ἴσασι; i. e. Vides quomodo vitam quæ ex cognitione agitur, Græci quoque (& si ne-

nesciant, quomodo scire oportet) divinis laudibus celebrant, quænam sit autem cognitio, ne per somnium quidem norunt.

Quomodo verò animatus fuerit Clemens, erga virtutes Ethnicorum, paucis constabit, στρω. 3. *p.* 447. Οὐδ' ἡ εὐνουχία ἐνάρετον, εἰ μὴ δι' ἀγάπην πρὸς τὸν Θεὸν; i. e. Nec castitas est bonum aut de virtute, nisi fiat propter dilectionem Dei. Idem, στρω. 6. *p.* 669. *d.* Πᾶσα πρᾶξις γνωστικοῦ μὲν κατόρθωμα. —— Παντὸς δὲ ἔμπαλιν τοῦ ἐθνικοῦ ἁμαρτητικὴ, οὐ γὰρ τὸ ἁπλῶς εὐπράττειν, ἀλλὰ τὸ πρὸς τίνα σκοπὸν τὰς πράξεις ποιεῖσθαι καὶ κατὰ λόγον ἐνεργεῖν καθήκειν αἱ γραφαὶ παρίστανται; i. e. Omnis actio ejus qui cognitione præditus est, rectum & perfectum est officium. —— Contra verò cujusvis Gentilis actio est peccaminosa, non enim simpliciter, bene agere, sed scopum quendam spectando actiones producere, & ex verbo & ratione o-

perari oportere, ostendunt Scripturæ.

§. 15. Sequuntur testimonia, quæ soli Christo ejusque gratiæ, salutem & cognitionem salutarem, in totum ascribunt, ςρω. 1. *p.* 288. Ἕτερον ςοχασμὸς ἀληθείας, ἕτερόν δὲ ἡ ἀλήθεια. —— Δωρεὰ γὰρ ἡ διδασκαλία τῆς θεοσεβείας, χάρις δὲ ἡ πίςις; i. e. Aliud est veritatis conjectura, & aliud veritas. — Est enim donum doctrina pietatis, gratia verò fides. ςρω. *p.* 318. *a.* Ἡ Φιλοσοφία, πρὸς κατάληψιν τῆς ἀληθείας, ζήτησις οὖσα ἀληθείας, συλλαμβάνεται· Οὐκ αἰτία οὖσα καταλήψεως, σὺν δὲ τοῖς ἄλλοις αἰτία, καὶ σύνεργος, τάχα δὲ καὶ συναίτιον αἴτιον. — Μιᾶς οὔσης τῆς ἀληθείας, πολλὰ συλλαμβανόμενα πρὸς ζήτησιν αὐτῆς. Ἡ δὲ εὕρεσις διὰ υἱοῦ. —— Μόνη δὲ ἡ κυρία αὕτη ἀλήθεια ἀπαρεγχείρητος, ἣν παρὰ τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ παιδευόμεθα; i.e. Philosophia confert ad comprehendendam veritatem, cum sit Inquisitio veritatis, non quod sit causa compre-

prehenſionis, ſed cauſa cum aliis & adjuvans & forte etiam cauſa concauſans. —— Ita cum ſit una veritas, multa ſunt quæ conferunt ad ejus inquiſitionem. Inventio autem eſt per Filium. — Sola enim hæc eſt propriè dicta veritas, quæ manibus tradi non poteſt, quam docemur à Filio Dei. Στρω. 6. *p.* 674. Ἡ εὕρεσις, πέρας καὶ ἀνάπαυσις ζητήσεως ἐν καταληψει γνωμένης, ὅπερ ἔστιν ἡ γνῶσις. —— Τῆς τοίνυν περὶ Θεοῦ ζήτησις, ἡ μὲν τῶ υἱῶ διδασκαλία; i. e. Inventio autem veritatis, eſt finis & requies inquiſitionis, quod quidem eſt cognitio, — Ejus verò quæ eſt de Deo inquiſitionis inventio quidem, eſt doctrina quæ eſt per Filium. Idem, Στρω. 1. *p.* 314. *b.* Θεοῦ δέ, εἰρηκεν ὁ Ἀπόστολος, τὴν κυρίου διδασκαλίαν, σοφίαν· Ἵνα δείξῃ τὴν ἀληθῆ Φιλοσοφίαν δι' υἱῶ παραδιδομένην; i. e. Dei autem ſapientiam, dixit Apoſtolus, doctrinam quæ eſt ex Domino: Ut veram Philoſophiam oſtendat tradi per Dominum. Adde etiam ſequen-

tia, à re præsenti non prorsus aliena, ϛρω. 1. *p.* 288. Postquam dixerat quod Abraham non ex operibus justificatus est, sed ex fide, subjungit, Οὐδὲν ὄφελος αὐτοῖς, μετὰ τὴν τελευτὴν τοῦ βίου, κἂν εὐεργῶς ὦσι νῦν, εἰ μὴ πίστιν ἔχοιεν; i. e. Nihil ergò iis post finem vitæ proderit, etiamsi nunc rectè operentur, nisi fidem habeant. ϛρω. 2. *p.* 364. *a.* Τούτους μὲν οὖν καὶ πρὸ νόμου ἡ πίστις δικαιώσασα, κληρονόμους κατέστησε τῆς θείας ἐπαγγελίας; i. e. Hos ergò cum ante legem Fides justificasset, constituit hæredes divinæ promissionis. ϛρω. 6. *p.* 667. *g.* Μία γὰρ τῷ ὄντι διαθήκη ἡ σωτήριος, ἀπὸ καταβολῆς κόσμου εἰς ἡμᾶς διήκουσα κατὰ διαφόρους γενεὰς τε καὶ χρόνους, διάφορος εἶναι τὴν δόσιν ὑπολήφθεῖσα· Ἀκόλουθον γὰρ εἶναι μίαν ἀμετάθετον σωτηρίας δόσιν, παρ' ἑνὸς Θεοῦ, δι' ἑνὸς κυρίου πολυτρόπως ὠφελοῦσαν; i. e. Nam unum quidem est reverâ salutare testamentum, quod à constitutione Mundi ad nos pervenit, per generationes diversas & tempora, etiamsi

etiamsi datione existimatum fuerit diversum. Consequens enim est, esse unam immutabilem salutis dationem, ab uno Deo, per unum Dominum, quæ multis modis prodest. *Clem. Στρωμ. Lib. 6. pag.* 646. Barnabas dictum Prophetæ exponens, (scilicet *Psal.* 118. 19.) infert, πολλῶν πυλῶν ἀνεῳγυῶν, ἡ δικαιοσυνὴ, αὕτη ἔξιν ἡ ἐν Χριστῷ· Ἐν ᾗ μακάριοι πάντες οἱ ἐπελθόντες; i. e. Cum multæ portæ sint apertæ, quæ est *Justitia*, ea *est in Christo*; In quam Beati omnes qui sunt ingressi.

§. 16. Diximus (satis fusè) de Justino & Clemente; solus supersest Lactantius, quem suis partibus annumerat D. Baxterus, (*Part. 3. pag.* 22.) Cum verò hunc tantum nominet, nusquam verò quicquam ex scriptis aut verbis illius proferat: Quid restat, nisi ut mentem & sententiam hujus etiam Patris ex ipsius scriptis depromptam hîc repræsen-

ſentemus; quæ pleniùs conſtabit ex ſequentibus. *Inſtitut. L. 2. c. 3.* Philoſophi, quod ſummum fuit humanæ ſapientiæ aſſecuti ſunt, ut intelligerent quid non ſit (verum,) illud aſſequi nequiverunt, ut dicerent, quid ſit. Nota Ciceronis vox eſt, Utinam tam facilè vera invenire poſſem, quam falſa convincere, quod quia vires humanæ conditionis excedit; ejus officii facultas nobis eſt attributa, quibus tradidit Deus ſcientiam veritatis. Idem, *L. 3. c. 1.* Neque quid eſſet verum ipſum ſciebant; neque quomodo aut ubi aut quâ mente quærendum. Ita dum ſuccurrere humanis erroribus cupiunt, ipſi ſe in plagas & errores maximos induxerunt. —— Loqui bene potuerunt, ut homines eruditi, verè autem loqui, nullo modo; quia veritatem non didicerant ab eo, qui ejus potens eſſet. Idem, *L. 3. c. 9.* Philoſophos omnes cœcos & inſipientes fuiſſe; qui quod eſt homini ſummum bonum conſtitutum, nec vi-

idere, nec intelligere, nec ſuſpi-
ari aliquando potuerunt. Idem,
. 3. *c.* 12. Hæc enim duo ſunt,
uæ ſimul efficiunt illud quod quæ-
itur. Scientia id præſtat, ut quo-
nodo & quò perveniendum ſit, no-
erimus: Virtus, ut perveniamus.
— Beata igitur vita quam Philo-
ophi ſemper quæſiverunt & quæ-
unt, ſive in cultu Deorum, ſive in
Philoſophiâ, nulla eſt. Et ideo ab
is non potuit reperiri, quia ſum-
num bonum non in ſummo quæ-
iverunt, ſed in imo. Idem, *L.* 6.
. 8. Hæc eſt via, quam Philoſophi
quærunt, ſed ideo non inveniunt,
quia in terrâ potius, ubi apparere non
poteſt, quærunt. Errant ergò ve-
ut in Mari Magno, nec quò feran-
ur intelligunt; quia nec viam cer-
nunt, nec ducem ſequuntur ul-
lum. Idem, *L.* 6. *c.* 9. Cimonem
Athenis accepimus, qui & egentibus
ſtipem dedit, & pauperes invitavit,
& nudos induit. Tamen cum il-
lud unum (quod eſt maximum)
de-

deest, Agnitio Dei; jam illa bona omnia supervacua sunt & inania, ut frustra in his assequendis laboraverit. Omnis enim justitia ejus, similis est humano corpori, caput non habenti.—— Itaque, ut sit vivum ac sensibile corpus, & agnitio Dei necessaria est quasi caput, & omnes virtutes quasi corpus. Ita fiet homo perfectus & vivus; sed tamen summa omnis in capite est, quod quamvis constare non possit sine omnibus, sine quibusdam tamen potest. Et erit quidem animal vitiosum ac debile, sed tamen vivet: Sicut is qui Deum novit, & in aliquâ re peccat. Dat enim peccatis veniam Deus. Itaque sine membris aliquibus vivere potest, sine capite nullo modo. Hæc res efficit, ut Philosophi etiamsi naturâ boni sunt, tamen nihil sciant, nihil sapiant. Omnis doctrina & virtus eorum, sine capite est; quia Deum nesciunt, qui est virtutis ac doctrinæ caput; quem qui non ag-

agnoscit, licet videat, cœcus est: Licet audiat, surdus: Licet loquatur, elinguis est. Cætera quæ habentur apud Lactantium, videas in Disquisitione meâ.

JUDI-

JUDICIUM
Eccleſiæ Anglicanæ
IN SUIS
ARTICULIS
Quoad cauſam præſentem.

ARTIC. 18.

'SUnt & illi anathematizandi, qui 'dicere audent, Quod unuſ-'quiſque in lege aut ſectâ, quam 'profitetur, ſalvabitur, modò vitam 'ſuam juxta illam legem & naturæ 'lumen traducere, ſit ſtudioſus. Sa-'cra enim Scriptura nomen Jeſu 'Chriſti nobis tantùm proponit, in 'quo homines ſalvari oportet.

ARTIC.

ARTIC. 17.

'Prædeſtinatio ad vitam, eſt æternum Dei propoſitum quo antequam jacta fuerant Mundi fundamenta, ſuo conſilio nobis ſecreto, conſtanter decrevit, eos quos *in Chriſto ex humano genere elegit*, à maledicto & exitio liberare, atque ut vaſa in honorem facta, per Chriſtum ad æternam ſalutem adducere: Quare qui tam præclaro Dei beneficio ſunt donati, illi per Spiritum ejus opportuo tempore operantem, ſecundùm propoſitum ejus vocantur, vocationi per gratiam parent, juſtificantur gratis, fiunt per adoptionem Filii Dei, unigeniti ejus Filii Jeſu Chriſti imagini efficiuntur conformes, in bonis operibus religioſe ambulant, & demum ex Dei miſericordiâ ſempiternam aſſequuntur felicitatem.

Per

Per electos in Christo necesse est ut hîc intelligantur vel electi ad fidem Christi futuram, vel electi ex fide Christi prævisa. Utrolibet modo sumas, constat ex mente & sententiâ Ecclesiæ Anglicanæ in omnibus electis, Fidem in Christum vel esse causam sive rationem Electionis, vel inseparabilem ejus fructum. Constat etiam nullos esse electos nisi per vel cum respectu ad fidem in Christum. Constat etiam hos solos vocandos esse cum effectu justificandos, & ad æternam salutem adducendos.

FINIS.

Books printed for, and Sold by R. Clavell, *at the* Peacock *in* St. Paul's *Church-yard.*

THe Reaſons of Praying for the Peace of our *Jeruſalem*: In a Sermon Preached before the Queen at *White-Hall*, on the *Faſt-Day*, being Wedneſday *Auguſt* 29. 1694. by *Thomas Comber*, D. D. Dean of *Durham*, and Chaplain in Ordinary to their Majeſties. *Printed by Their Majeſties Special Command.*

A Daily Office for the Sick; Compil'd out of the Holy Scriptures, and the Liturgy of our Church; with occaſional Prayers, Meditations and Directions.

The *Pantheon*, Repreſenting the Fabulous Hiſtories of the Heathen Gods, and moſt Illuſtrious Heroes; in a ſhort, plain and familiar Method, by way of Dialogue, for the Uſe of Schools. Written by *Fra. Pomey*, of the Society of Jeſus; Author of the *French* and *Latin* Dictionary, for the Uſe of the *Dauphin.*

*

Q.

Q. Horatii Flacci Opera: Interpretatione & Notis Illuſtravit *Ludovicus Deſprez* Cardinalitius Socius ac Rhetor Emeritus, Juſſu Chriſtianiſſimi Regis, in uſum Sereniſſimi Delphini, ac Sereniſſimorum Principum Burgundiæ, Andium, Biturigum. Huic Editioni acceſſere Vita Horatii, cum *Dacerii* Notis ejuſdem Chronologia Horatiana, & Præfatio de *Satira Romana.*

L. Annæi Flori rerum Romanarum Epitome; Interpretatione & Notis Illuſtravit Anna Tanaquilla Fabri Tilia, Juſſu Chriſtianiſſimi Regis, in uſum *Sereniſſimi Delphini.*

Compendium *Græcum* Novi Teſtamenti, Continens ex 7959. Verſiculis totius N. Teſtamenti tantum Verſiculos 1900. (non tamen integros) in quibus omnes univerſi Novi Teſt. Voces, una cum Verſione Latina, Inveniuntur: Auctore *Johanne Luſden*, Philoſ. Doctore, & Linguæ Sanctæ in Academia Ultrajectina Profeſſore Ordinario Editio Quinta.